4° Belg. 171 t

Van Hogendorp

DISPUTATIO HISTORICO-JURIDICA
INAUGURALIS,

DE

GULIELMI I.

PRINCIPIS ARAUSIAE,

LIBERI CULTUS DIVINI, LIBERAEQUE CONSCIENTIAE VINDICIS, JURIBUS, IN SUMMUM IMPERIUM IN COMITATU HOLLANDIAE.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

DISPUTATIO HISTORICO-JURIDICA INAUGURALIS,

DE

GULIELMI I.

PRINCIPIS ARAUSIAE,

LIBERI CULTUS DIVINI, LIBERAEQUE CONSCIENTIAE VINDICIS, JURIBUS, IN SUMMUM IMPERIUM IN COMITATU HOLLANDIAE,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOANNIS CLARISSE,

A. L. M. THEOL. ET PHIL. DOCT.

THEOLOGIAE PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

DIDERICUS VAN HOGENDORP,

AMSTELODAMENSIS.

Ad diem XXVI. *Januarii* MDCCCXXII. *Horâ* XI–XII.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD H. W. HAZENBERG, JUNIOREM,

MDCCCXXII.

121 – 9.

Naijvrig op de bol van 't Licht,
Vloog hem de Maan in 't aangezicht,
Om in zijn plaats te blinken.
Wat was 't? Heur eigen glans verdween,
Een algemeene nacht verscheen,
En alles dacht op eens in 't aaklig niet te zinken.
Dan neen, God lof! wy zien hem weer,
En 't schrikbre duister is niet meer.

BILDERDIJK.

PATRI OPTIMO.

Legenti mihi ac saepius cum animi voluptate relegenti patriae historiam, quum in locum incidissem, quo GULIELMI I. *principis Arausiae mentionem faciunt scriptores, tamquam* PHILIPPI *adversarii, subiit animum cogitatio, hujus*

mag-

magni in paucis viri res gestas ac jura acquisita argumentum egregium mihi offerre, in quo explicando, ingenii vires periclitari possem. Hoc itaque consilium quum, Te inprimis suasore, cepissem, hanc elegi partem, qua agitur de juribus GULIELMI *in summum imperium in comitatu Hollandiae exponendis. Etenim haec praecipue pars cum jurisprudentiae studio, in quod incubui, conjuncta est.*

Con-

Conſcribenti mihi hanc disputationem ſemper ob oculos verſata fuerunt tempora illa, cum Te Ipſo duce, huic disciplinae operam navarem; et quotidie recordor et fideli memoria complector praeclara praecepta, quibus nos imbuisti vitae bene regendae reique publicae adminiſtrandae (ad quae ſtabilienda ac firmanda omnis ſpectat inſtitutio) eaque corroboraſti exemplis e patriae hiſtoria petitis. Saepe illa mecum repeto praecepta et inſtituta et indies magis me

ex-

excitant ad illas colendas virtutes, sine quibus nulla est animi tranquillitas nulla vera vitae felicitas. Quae cum ita ſint, gratulor oblatam mihi opportunitatem, qua palam Tua, CARISSIME PATER, *in me merita praedicare mihi liceat.*

Est nobis a majoribus tradita vetus consuetudo ut, qui ſpecimen quoddam progressuum ſuorum in lucem emittant, ſeſe commendent iis quorum disciplina uſi ſuerunt praeceptoribus

iis-

iisque gratum animum declarent, quem morem neque reprehendendum nec negligendum puto. Primum autem me in disciplinam tradidisti BAKII *Vir Clar. optimi magistri, ejusdemque ad juvenum animos literarum disciplinarumque liberalium amore imbuendos, aptissimi, cui quidquid in illis profecerim, debeo. Quum ejus ductu eo pervenissem, ut non sine aliquo fructu scholas juridicas ac politicas* SMALLENBURGII, HAGEMANNI, KEMPERI *Tui, et* TYDE-

MAN-

MANNI *Virr. Clarr. frequentare posse viderer*, *primo tempore iis operam dedi auspiciis* TYDEMANNI *Praeceptoris Aestumatissimi. Quae huic Excellenti ingenio et eruditione Viro debeam, non est quod commemorem; semper ille me habuit summa cum comitate; ad studia excitavit, et denique illos mihi suppeditavit libros aperuitque fontes quibus, nisi ejus comitas ac benevolentia mihi adfuisset, ad hanc conscribendam disputationem caruissem. Optime quo-*

que

que de me meisque ſtudiis meruit SMALLENBURGIUS *Vir Gravisſimus, cujus multa in me exſtant merita, quorum numquam immemor, et ſemper gratus ero. Horum Virorum Clarisſimorum praeceptis inſtructus non ſine pudore ad* BILDERDYKIUM *accesſi, cujus Venerandi Senis vitae Deus in utilitatem ſtudioſae juventutis parcere videtur. Quae huic omni doctrinae genere Excellentisſimo Viro, in jurisprudentia, in legum interpretatione, in philoſophia,*

in

in literis, in historia, praesertim patriae ejusque juris publici (quod utrumque studium minime sejungendum videtur) debeam, equidem quibus verbis expromam, nescius sum. Denique me multa quoque debere Viro Cl. VAN ASSEN, *qui ad Leydensem nuper vocatus juris civilis cathedram, me praeceptis suis monitisque instituit ac singulari benevolentia complexus est, gratus agnosco.*

Haec sunt, CARISSIME PATER, *quae*

ut

ut Tibi quotidie cum voluptate narrare ſolitus eram, ſic hoc loco palam repetere et gratum et jucundum est, ut Tibi testimonio ſint me erga praeceptores et fautores, ex quorum diſciplina profectus hanc conſcribere conatus ſum disputationem, talem fuisſe, qualem Tuo quodam jure, postulare potes ab eo, qui a Te et vivendi et bene vivendi beneficium accepit.

Jam Tibi, PIE COLENDE PATER, hasce ſtudio-

rum

rum primitias pio animo offero ac dedico, in quibus si quid minus accurate minusque pro rei gravitate elaboratum inveniatur (et invenietur certe) id juvenili aetati Te libenter esse condonaturum et spero et confido.

Pau-

L. B.

Paucae fortasse de *Jure Disputationes* majori labore conscriptae sunt, quam quae hic Tibi offertur. Arrisit mihi statim argumentum, quia ipse non satis intelligebam quae GULIELMI Principis jura, e delatione Imperii Hollandiae acquisita fuissent. Mihi igitur utilem, neque aliis forte omni utilitate vacuam fore sperabam operam, quae in iis juribus explicandis collocaretur.

Initio non dubitabam, quin omnes historiae Patriae scriptores ita convenirent de ea argumenti parte, quae historiam rei gestae spectat, ut mihi nihil aliud faciendum foret, quam ut rerum, quae circa delationem illam versarentur, perquirerem causas, easque, prout proditas invenirem, diligenter explicarem; unde facili negotio jura Principis in Summum Imperium de-

rivare posſem. Quod opus cum ſuscepisſem, conſtitui ſtatim de toto hoc argumento, quod in hac disputatione tractavi, cum nemine prius communicare, quam meam ipſe qualemcumque confirmasſem opinionem, ut quaecumque mea esſet ſcriptio, certe a me ipſo profecta videretur. Inter plures quos adhibui libros, primum inſpexi Cl. KLUITII egregium opus, quod inſcribitur, *Hiſtorie der Hollandſche Staatsregering*, videbatur mihi KLUITIUS hanc materiam omnium accuratisſime tractasſe. Incoepi igitur illud opus legere et relegere, notare quae inprimis memorabilia contineret, et ea porro facere, quae ſolet juvenis ad disſertationem conſcribendam aggresſus. Neque infitior multum me temporis impendisſe antequam opus KLUITIANUM ſatis percepisſe. Mox de re ipſa cogitare coepi, loca a KLUITIO citata inſpicere, et quae ipſe animadvertisſem ſcriptis mandare. Quo labore confecto, cum praeceptoribus atque amicis eo conſilio egi, ut, cum meam

ſta-

ſtatuisſem ſententiam, etiam quid alii ſentirent intelligerem.

Antequam autem disputationem ipſam conſcriberem, colligere volui auctorum quidquid ea de re aut opinionum aut judiciorum exſtaret; et primo loco perlegi SLINGELANDII de veteri forma Regiminis Hollandiae commentationem, (*Verhandeling van de oude Regeering van Holland onder de Graven, en van de verandering daarin gevallen ſeedert de troublen*,) ut quae de argumento disputationis a me tractando, hujus Amplisſimi Viri esſet ſententia, cognoscerem. Quae inde expertus ſum ſenties, cum Tibi narravero me tunc demum vidisſe, SLINGELANDIUM hujus argumenti plane aliam edidisſe hiſtoriam, ac KLUITIUS deinceps edidit, et in ipſa commemoratione factorum hiſtoricorum inter illos viros exſtare pugnam: continuo tertium adire decrevi auctorem, nimirum SPIEGELIUM Virum Amplisſimum, in opere cui titulus: *Hiſtorie van de Satisfactie*

 der

der Stad Goes; ut auctores disſentientes hoc modo forte componerem: ſed, ecce! ille item auctor diverſam ab illis conſcripſerat hiſtoriam; et quum interea etiam WAGENAARIUM legisſem, denuo alia plane ſcriptis conſignantem, jam quatuor conſultis ſcriptoribus de eodem argumento, quatuor diverſas ac prorſus contrarias percepisſe hiſtorias vehementer mirabar.

Ingenue confiteor hasce ob difficultates hujus argumenti taedium me tunc cepisſe: et jam in eo fuisſe, ut aliud eligerem diſputationis conſcribendae argumentum. At vero hac de re mox ſedatiori mente cogitanti, difficultates ipſae animum denuo excitarunt: quo magis enim me premebant hae difficultates, eo magis veritatis indagandae cupiditate flagrare coepi; et quo minus mihi hiſtoria cognita videbatur, eo utilius ejus illuſtrandae ſtudium putavi. Intermisſum igitur opus recepi, et ſepoſitis omnibus libris, ipſos fontes adire conſtitui, unde disſertationem meam haurirem, quod quanto

la-

labore mihi conſtiterit, ipſe, L. B. facile percipies; id tantum dicam, me laborem illum omni perfecisſe ſtudio, cum perſuaſum mihi esſet, me hac demum via ipſam rei gestae veritatem esſe inventurum, unde praecepta, hiſce praeſertim temporibus utilisſima, petere posſemus.

Ecce, L. B. hiſtoriam hujus disputationis, quam Tibi non narravisſem, niſi probe intellexisſem fore ut primo obtutu iniquum de me ferretur judicium, meque reum dictum iri ejus culpae, a qua mens quam alienisſima fuit. Ut igitur hanc repellerem accuſationem, has literas disputationi meae praemittere, non alienum duxi.

Primum enim accuſabor fortasſe ſuperbiae atque arrogantiae, ſaepius disſentiens a SPIEGELIO, SLINGELANDIO, KLUITIO et WAGENARIO. Alii non hujus tantum me noxae postulabunt, ſed et propter hunc ipſum disſenſum falſam meam credent ſententiam. Hoc vero me conſolatur, cuivis perſpectum id esſe posſe, me,

quaecumque demum mea fuisſet ſententia, ſi unum ex hisce ſecutus fuisſem, ſemper a tribus disſentire debuisſe, quum ipſi omnes inter ſe disſentiant; quod cum evitari non potuisſet, ſatius duxi, relictis omnibus, veritatem ſequi, quam ad unius horum virorum me confirmare ſententiam. Sed pauca de illis dicamus ſcriptoribus.

Primus eorum, qui de induſtria egerunt de forma Regiminis Hollandiae veteri usque ad MAURITII tempora, est SLINGELANDIUS Vir Celeberrimus. Longe a me alienum est virum illum accuſare ac ſi mala fide hiſtoriam conſcripſisſet, aut domui ARAUSIACAE infestum ſe declaravisſet; contra, in eo agnoſcimus optimi conſilii virum et integrae fidei. Sed animadvertendus finis est, quem ſibi propoſuit SLINGELANDIUS, et cauſas errorum, quibus lapſus est, inveniemus.

SLINGELANDIUS eo vixit tempore, quo urbes Hollandiae ſingulae Summum ad ſe trahere

Im-

Imperium omni opera contenderunt. Ex mea disputatione intelligetur Summi Imperii exercitium primis turbarum temporibus fuisse penes GULIELMUM: post ejus mortem Ordines illud occupasse; sed brevi post, civitates, et praesertim urbem Amstelodamum illud Ordinibus detrahere et sibi arrogare coepisse. Exigua, aut nulla potius, in Regimine fuerat concordia eo tempore quo Ordines Summi erant Imperantes, eaque mox penitus interitura, quum ad civitates Summum pervenisset Imperium, quo casu quaelibet mala Patriae iminerent. Eo igitur tempore vixit SLINGELANDIUS, quo Ordines Imperium sensim sensimque amiserant; Hic igitur ut serpenti malo obstaret, cum persuasum sibi esset, Ordines justo titulo acquisivisse Imperium, eo consilio illorum temporum historiam tractavit, ut eorum jura vindicaret, et hanc qualemcumque, quae superesset, concordiam conservaret. Nemo igitur miretur eum Deputatis Ordinibus multum tribuere voluisse potesta-

ſtatis; hinc factum est, ut erraret de juribus GULIELMI, eaque pro parte tribueret Ordinibus, pro parte Ordinibus Deputatis, pro parte Conſilio-Status; et judicans, GULIELMUM mortuum esſe nullo Imperii jure aut ſibi acquiſito aut liberis relicto, putavit collegia illa, tempore mortis GULIELMI, in legitima fuisſe Summi Imperii posſesſione. SLINGELANDIUM eo, quod ſignificavimus, conſilio opus ſuum conſcripſisſe hoc magis intelligitur, quod formam Regiminis annorum 1572–1584 non illo, quod in hiſtorico requiritur, ſtudio indagaverit. Probatur hoc ex iis quae in Decretis Hollandiae, (*Reſolutien van Holland*) anno 1574 acta notantur circa Summum Imperium; horum nihil fere commemorat; et jura GULIELMI ejusque liberorum, re non perſpecta, plane negat, quae] tamen jura accurate indaganda fuisſent.

SPIEGELIUS Vir Ampliſſimus magis *Satisfactionibus*, quae dicuntur, operam dedit, et SLIN-

GE-

GELANDIUM fere ſecutus videtur usque ad foedus (Unionem dicunt) Hollandiam inter et Zeelandiam anno 1576, ſed, quod mirum videtur, in conſcribendo opere suo non uſus est Decretis Hollandiae, quamvis omnia, quae ſpectabant Unionem, peracta fuiſſent in Ordinum Hollandiae coetu, quo tunc Zeelandiae legati convenerant. His fontibus neglectis, SPIEGELIUS erravit non tantum circa hiſtoriam *Satisfactionum*, ſed etiam circa earum vim, quam ita immodice auxit, ut quae inſtrumentum Unionis et Continuationis ſpectarent, non ſatis bene percipere potuerit.

Accuratius et melius SLINGELANDIO et SPIEGELIO hanc materiam tractavit Cl. KLUITIUS, qui rem ſatis accurate et ſincero, ut videtur, animo inquiſivit. Multa nos docuit, quae adhuc plane incognita erant, et hanc quaestionem de jure Imperii tempore GULIELMI I. fere inextricabilem, explanavit in eximio opere ſupra laudato, quod vehementer dolemus a nos-

tratibus non satis adhiberi. Sed plura adhuc nos docuisset Vir. Cl. si nostris vixisset temporibus, et integra scribendi libertate gavisus fuisset. KLUITIUS autem in Academia Lugduno-Batava Professor, Domus ARAUSIACAE partibus favens et corruptor juventutis habitus, munere suo anno 1795 amotus, (cujus honoris participes una fuerunt BOERSIUS ac PESTELIUS viri clar.) illius otii tollendi causa hoc opus aggressus est, et maxima, quae in illo erat, perfecit industria; non omnem tamen, ut videtur, spem dimittens impetrandae aliquando in integrum restitutionis, quam et anno 1802 demum accepit. Aristocraticis itaque, qui caput initio hujus saeculi iterum erexerant, KLUITIUS nimium pepercit, et in causa quam agebat, ea quae fortius ipsis nocitura praeviderat, quodammodo aut neglexit aut emollivit. Hujus rei exemplum evidens ac manifestum invenimus in quaestione de Summi Imperii delatione, ac juribus quae inde acquisi-

vit

vit Domus ARAUSIACA, a KLUITIO non ſolita tractata diligentia, imo in qua intellexisſe, vidisſe et indicasſe plura videtur, quam ingenue testari auſus ſit.

Univerſe dolendum est, auctores illos ad juris principia minus attendisſe; quo factum est, ut multa inſtrumenta authentica non ſatis accurate explicuerint, et identidem in errores inciderint, quos evitasſent, ſi in jure fuisſent peritiores.

Denique (et hic ſpectamus inprimis SLINGELANDIUM et SPIEGELIUM) invenimus in auctoribus illis, majorem ſenſum affectus ac ſtudii erga Domum ARAUSIACAM, quam argumenta quibus ſenſus ille nitatur. Sic verbi gratia, quae de GULIELMO I dicunt, augent ea noſtram erga GULIELMUM venerationem; ſed argumenta ipſa quibus ea confirmant, quae adferunt, ſi vera esſent, nos GULIELMI adverſarios potius redderent. Verbo: videtur apud illos ſcriptores pugna quaedam intellectum inter

et affectum fuisse. Quod hoc loco eo magis exponere nostrum credidimus officium, quod idem error hodieque remansisse videtur.

Quod ad WAGENARIUM attinet, hoc tantum animadverto, ipsis amicis ejus et propugnatoribus fatentibus, illum neque eâ quae Historicum formet institutione et comparatione fuisse gavisum, nec necessariis doctrinis instructum, et juris scientiae (ast hic omnino necessariae) expertem, et nimia praeterea festinatione usum fuisse: praeterea WAGENARIUM quasi sub tutela et imperio factionis, cui et ipse addictus et veluti obligatus esset, opus suum conscripsisse; inde cuique judicare liceat de fide et pretio, quae illi sint habenda.

Altera quae contra me fortasse movebitur querela haec erit: voluisse me serere discordiam, cujus tamen rei ut me penitus innocentem sentio, sic profiteor et sancte obtestor. Felicitatem praedico temporum horum publicorum, quibus contentionibus et discordiis finis impositus est, et laudo sententiam vere Regiam: IGNOSCE et

OBLI-

OBLIVISCERE! ſed ex illis verbis, ex illa agendi ratione non conſequitur nobis non licere fucum a malis callidisque hominibus hiſtoriae Patriae illitum abſtergere et e rebus a majoribus gestis utilitatem percipere. Hiſtoria optima vitae dux ac magistra est; ea vero quae Patriae fata evolvit, inprimis abundat praeceptis numquam negligendis, quae nos doceant, quid agendum, quid evitandum ſit. Hanc itaque investigemus hiſtoriam, colligamus ex illâ vitae praecepta, diſputemus bona fide, quo intelligatur quis in errore verſetur, quis recte videat. Sed errare humanum est, neque est quapropter disputantes de Patriae fatis, odio ſe invicem perſequantur. Contra e nostra diſputatione illam percipiamus utilitatem, ut, cum appareat illos qui Principum ARAUSIACORUM tueantur cauſam, in disputatione inferiores decedere, Principes a majorum, si male egerint, recedant exemplo; at, ſi appareat, illos, qui ab Aristocraticorum ſteterint partibus, errasſe,

major inde amor et ſtudium excitetur. Sic disputatio nostra, modo bona fide ſit peracta, ſemper Patriae, cujus cauſam omnes agimus, aliquam utilitatem adferre poterit.

Hac igitur mente ac conſilio hanc conſcripſi disputationem, et cum jura GULIELMI I ejusque liberorum laeſa, ex eaque jurium laesione calamitates, quas Patria paſſa est, mihi profectae viderentur, nostrates admonere volui, ne iterum istiusmodi injuriae crimen committant, ac caveant ne Patria in easdem rurſus calamitates incidat, atque hanc admonitionem exemplo e Patriae hiſtoria hausto confirmatam, non inutilem duxi hoc tempore quo in magna Europae parte id agi videtur, ut legitima Regum jura violentur; ne aliquando etiam Regiae noſtrae Domus imminuantur jura, monere volui Belgas ac Batavos: vox ergo mea non est: *agite contentiones et discordias!* ſed potius: *numquam obliviscamini injuriarum Domui* ARAUSIACAE *illatarum tamquam fontis et originis omnium*

ma-

malorum, quae passi simus, quae si iterum committantur, easdem calamitates, non minores, sed graviores potius, esse insecuturas!

Antequam huic prooemio finem imponam, liceat mihi L. B. pauca haec de me ipso dicere. Solent nonnulli homines in eum, qui non omnia ea vera putat, quae vulgo pro veris habentur, contumeliose (praesertim si juvenis est) invehi, et si ex iis quae expertus sum, conjicere mihi liceat, quae de mea disputatione vulgaris futura sit sententia, jactabunt, hanc scriptionem mihi non posse tribui; opiniones enim quas contineat, non vere esse meas, utpote quas ex ore haustas certi cujusdam Viri Doctissimi meique amantissimi cui me coecam fidem obsequiumque adhibuisse. A quibus injuriis ut me defendam, hic palam obtestor, totam dissertationem esse meam, opiniones quas contineat esse meas, fructus nimirum studii, in quod multum impendi temporis, cum ipse instrumenta authentica-

quae-

quaesiverim, invenerim, inspexerim, iterum atque iterum legerim, iis sedulo incubuerim, ut illa probe intelligerem, et historiam illorum temporum proprio Marte et magno labore contexerem.

Versanti in hac Academia rara mihi fortuna obtigit familiaritate utendi viri in omnis doctrinae genere excellentis, JCti in paucis magni; et in historia Patriae peritissimi, cui studio cum operam dare vellem, gratus opportunitate usus sum, quam optimus ille vir, discendi studiosae juventuti, benevole offerre solet. Multa me docuit summus ille vir, pro quibus illi gratias et habeo et semper habebo; Inprimis idem ille insigni sua doctrina eas confirmavit cogitationes, in quibus jam ante versabar et quas nunc paulo instructior profiteri non dubito, quas vero etsi semper tacite amplexus, profiteri tamen non ausus sum, tum propter juvenilem aetatem, tum propter metum, ne, multis viris doctis opiniones, quas fove-

rem

rem rejicientibus, vehementer errarem. Equidem non inficior, me cum in viri laudati notitiam nondum pervenisſem, jam tum Principes ARAUSIACOS ſumma admiratione coluisſe, ut defenſores populi contra optimates: MAURITIUM et GULIELMUM II me existimasſe egregios Principes, optime de patria meritos, ad quorum nominis commemorationem, me nescio quo animo ſemper commotum fuisſe: BARNEVELDIUM vero me judicasſe criminis reum, neque injuria capitis damnatum. Amstelodami oppugnationem a GULIELMO II laudandam: necem WITTIORUM per ſe quidem non ſine horrore cogitandam, ſed tamen, propter justam univerſi populi indignationem, excuſandam; cujus indignationis cauſam fuisſe oppresſionem populi, factam ab iis magistratibus, qui ob odium, quo domum ARAUSIACAM perſequerentur, ipſius populi commoda neglexisſent.

In hac ſemper verſatus ſum ſententia, et etiam nunc bona fide verſor, eique plane conveniunt, quae in disputatione mea invenies,

intelliges me non alia ratione disputationem conſcribere potuiſſe, fontibus quos ipſos adii, ea quae ſemper ſentiisſem, confirmantibus. Rogatum igitur te velim, ut hanc disputationem a nemine quam a me ipſo profectam credas, et primitias esſe ſtudiorum in quae incubuerim; quidquid alii, quos non curo, fortasſe ſuſurrent. Vale!

INTRODUCTIO.

A quo tempore gentes Hispanicae ac Batavae, eidem imperio parebant, animo ac voluntate diſſederunt, cujus disſidii cauſa praecipua, in diverſa indole, moribus, ingenio horum populorum, fuit poſita.

PHILIPPUS Pulcher, Princeps facetus, humanus comes et cunctis facile confiſus, parum conſentiebat cum gravitate et ſuperbia Nobilium Hiſpanicorum; hinc iſta animorum diſcrepantia, quae inter eum et Hiſpanos exſtitit et invidiae, quae imperante PHILIPPO invaluit, cauſam praebuit. Nobiles Belgii, ac praeſertim Flandriae, huic contentioni acceſſerunt, et PHILIPPUM Pulchrum indies magis ab Hiſpanis alienare ſtuduerunt. Poſtea CAROLO V. patris mortis cauſas ita expoſuerunt, ut huic ſuſpicionem, quam haberet de nece patris ab Hiſpanis illatâ, confirmarent. Quum CAROLUS V. tandem

in Hiſpaniam advenisſet, XIMENES Cardinalis prius diem obiit ſupremum, quam cum illo congresſum habere potuerit Rex, cujus inopinati obitus cauſa, ab Hiſpanis palam tribuebatur, veneno a Belgis miniſtrato. CAROLUS ſemper a Belgis comitatus, praeferebat eos facile Hiſpanis, quapropter Regem, eodem quo antea patrem, perſequebantur odio, quod odium in miniſtros Regis Belgas, et deinde in omnes harum regionum incolas, quippe CAROLO caros, tranſiit.

CAROLUS omni imperio ſe abdicavit; quaenam hujus abdicationis cauſa fuerit, neſcimus: illud autem pro certo ſtatuere posſumus, rem iſtam patriam magna adfecisſe calamitate.

PHILIPPUS in Hiſpania educatus, Hiſpanorum mores atque indolem induerat; erat ſuſpicax, disſimulator, ſuperbus, inprimis in Belgas. Veri igitur ſimile mihi videtur, Nobiles Hiſpanos conatos fuisſe PHILIPPI II. excitare odium indies magis inter has gentes increscens; invidia enim orta ſub PHILIPPO Pulchro, vehementer aucta erat regnante CAROLO V, qui Belgas, praecipue Nobiles, ita diligebat, ut et in Hiſpania, praeſentibus Nobilibus Belgis, Nobiles Hiſpani privilegiis, quibus quondam prae Belgis fruerentur, uti non posſent; quae Hiſpanorum privilegia hac ratione in deſuetudinem abierunt, ac tandem omnino neglecta et obliterata ſunt.

Infignitus erat PHILIPPUS, honoris caufa, titulo Regis *Romano-Catholici*, quem titulum non tantum nomine, verum etiam re ipfa ac factis, mereri voluisfe videtur. Saepius dixisfe fertur, velle fe potius omnia fua regna ipfamque adeo vitam perdere, quam vel minimam immutationem in religione catholicâ, et in obedientiâ clericis debita, pati. Habebat ob oculos bella civilia in Gallia gesta, recordabatur quotidie belli a patre in Germania gesti; fuerat initio nimis concesfum, fe judice, malumque pullulans radicitus extirpandum fuisfet; quare ad GRANVELLANUM fcribere non dubitabat: „ Exemplo finitimarum gentium doctiores „ prudentiores fimus; rationibus plane diverfis utendum est." (1)

Noftrates de PHILIPPO iniquam faepius tulerunt fententiam, nulla habita ratione discriminis, quod est inter imputationem *juris* et *moralem*. Coërcet civitas facta quae crimina aut delicta esfe definit, in quibus coërcendis folum fere fpectat factum: haec imputatio vocatur *juris*. In imputatione *morali*, res plane diverfe fe habet; haec enim meram justitiam five aequitatem refpicit: aequum certe non est, aliquem e factis fuis judicare, cum factum

(1) Vid. VAN DER VYNCKT, *Gefchichte der Vereinigten Niederlande*, *T.* I. *p.* 96. Conff. etiam JOACHIMI HOPPERI Epiftolae ad VIGLIUM AB AYTTA ZUICHEMIUM, inprimis *Ep.* XII.

tum in abſtracto malum esſe posſit, cauſa vero ipſa et conſilium bonum: in foro igitur *morali*, cauſam tantum hanc, et conſilia animadvertere debemus (2).

Judicium jam de PHILIPPO feramus e cauſis, quibus commotus, egisſe videtur. Animadvertendum erit, illum fuisſe catholicum, ſcripturam ſacram ſecundum ritum, quo Deum colebat, legere non potuisſe, Pontifici Maximo obtemperare debuisſe. Religio quidem tandem reformata fuit, ſed reformationem pauci tantum amplectebantur; et a catholicis ſacrilega pronunciabatur; erant reformati, ſecundum eorum ſententiam, a Deo condemnati, neque a gravisſima poena liberari poterant, niſi ad veram religionem romano-catholicam rediisſent. Hanc ob rem Pontifex Maximus reformatos ab aeterna poena ſervare voluit, et reges reformationem ferro et igne delere jusſit. His poſitis, hoc conficimus, ſtudium colendi Deum, eamque evangelii doctrinam, quam unice veram putabat, tuendi ac defendendi, *principium agendi* fuisſe, quo PHILIPPUS imbutus fuit, et ad quod omnia ſua facta rexit et compoſuit.

Ex omnibus, qui de PHILIPPO II memoriae prodiderunt, nullus mihi auctor fide dignior, et rerum ab eo geſtarum judex certior videtur, quam JOACHI-

MUS

(2) Vid. IS. VOSMAER Vir Conſ. et Amicisſ. in disp. Polit. Inaug. *De Decimis et Jure Decimandi*, p. 117. n. 4.

MUS HOPPERUS Frisius. Ab una parte haud minori ſtudio, ac PHILIPPUS, deditus erat cultui romano-catholico, eos qui GULIELMI ſequerentur partes, rebelles vocans, (3) et vim illatam, vi repellendam esſe existimans, quo PHILIPPUS armis ſuperior discederet, qui alioquin nihil in republica ordinanda gerere posſet, neque leges dare, ſed accipere cogeretur. (4) Ab altera parte patriae cura illum dies et noctes ſollicitabat, (5) nec parum illum movebat quod male de ſe ſentiebant Belgae; ſibi tamen conſcius officiorum Comiti praeſtitorum, hac de re ad VIGLIUM ſcripſit, „ quemadmodum vos istic, ita nos hic, „ non ſine gravisſimis calumniis degimus, ſed non „ minima beatitudinis pars est, pro justo ac recto „ calumniam pati, et *Regium esſe*, vulgo dicitur, „ *ubi bene feceris male audire.*" (6) Maximum vero ſolatium ex eo percipiebat, quod Deus hoc ſemper ſibi grate concesſisſet, ut numquam deſineret veritatem dicere, et quidem ſuo tempore. (7) Semper ille, cum PHILIPPUS ſuperior esſet, precibus ſollicitavit, ut ad clementiam redire vellet. (8)

HOPPERUS, (qui litteras hujuscemodi non dabat, ut Comitem defenderet, ſed ut calamitatibus patriae an-

(3) *Ep.* LXIV.
(4) *Ep.* XXIV.
(5) *Ep.* XVIII.
(6) *Ep.* XXXVII.
(7) *Ep.* CXLIII.
(8) Pasſim.

anxium et oppressum dolore animum, effunderet coram VIGLIO suo amico) non dubitavit de PHILIPPO dicere: *Rex non pro jure suo, sed bonitate et clementia agere constituit, suasque civitates ac ditiones non perdere sed servare:* (9) *Regis mentem esse, ut, si quomodo ratione et consilio res componi queat, non censeat ad arma veniendum:* (10) *Rege certe nihil nec melius, nec prudentius, nec diligentius reperiri potest, nec stat per illum, quin omnia quam optime fiant:* (11) *Rex numquam suam benignitatem erga nostros clausit*, (cujus rei, ait HOPPERUS, ego oculatus sum testis,) *nihil paterni officii omittit quod ad rem componendam possit pertinere.* (12) Sed inprimis digna sunt, quae ad ultimam posteritatem perferantur, memorabilia haec Regis verba, quae commemorat HOPPERUS, de morte comitis EGMONDANI et HORNENSIS, unde PHILIPPI indolem et mores plane cognoscere possumus: „Rex remittens ad nos literas, scribit, pergrave „sibi accidisse quod ad haec remedia fuerit veni-„endum, ac maxime quidem suo tempore; sed non „posse quem deësse suo officio: gaudere autem, quod „catholici mortui sint." (13)

Erravit PHILIPPUS in vera religionis et officii co-

(9) *Ep.* XXIV.
(10) *Ep.* XXXVII.
(11) *Ep.* CXXXVII.
(12) *Ep.* CXXXVIII.
(13) *Ep.* L.

cognitione, Dei cultum liberum et conſcientiae libertatem, crimen esſe judicans; ſed errare humanum est; quapropter errantes in foro *morali* condemnare non licet, ille tantum condemnandus, qui malo conſilio peccat, quique ſciens ac volens agit contra animi ſenſus quibus imbutus est. PHILIPPUM ſibi hac in re non fuisſe conſtantem ne ipſi quidem ejus inimici contendere auſi ſunt, et certo certius iste dolus malus in ejus actionibus non cernitur. PHILIPPUM igitur II omni culpa, in foro morali, non tantum vacuum esſe, verum etiam magni faciendum ac colendum, affirmare non dubito.

Menſe Aprilis anni 1559 pace Camerenſi (*Chateau-Cambreſis*) convenit inter PHILIPPUM et HENRICUM II, de articulo foederis ſecreto, vel potius horum Principum nomine, convenerunt ministri, Cardinales GRANVELLANUS et LOTHARINGICUS. Princeps ARAUSIACUS praepoſitus frequenti legationi in Galliam misſus est. Erat hic inter ditisſimos Europae principes referendus; habebatur in Gallia, tamquam alumnus ac familiaris CAROLI V, magno honore, et propter humanitatem et ingenii acumen HENRICO gratus erat. Hic igitur nihil disſimulabat aut celabat. Propter familiaritatem quae illi intercesſerat cum CAROLO V, HENRICUS dubitare non potuit, quin ſecreti articuli conſcius esſet, quare HENRICUS, cum una cum Principe venatum iisſet, cum

 eo

eo collocutus est de pacto cum PHILIPPO, ad tuendam religionem catholicam et extirpandam reformationem, facto; Princeps ARAUSIACUS hujus articuli plane ignarus, sed factum esse ex ipso hoc sermone colligens, cum HENRICO ita loquebatur, ut hujus rei plane gnarus esse videretur; HENRICUS sic in opinione sua confirmatus, rem secretam cum illo communicat: erat autem iste articulus hujusmodi: 1°. obligatio religionem romano-catholicam tuendi ac defendendi, 2°. obligatio omnem novam disciplinam, earumque sectatores, extirpandi, 3°. obligatio sibi invicem omnem opem et auxilium, tam contra externam quam internam vim, quae hisce consiliis adversaretur, praestandi. (14).

GULIELMUS Arausiae Princeps, in Belgis provinciis educatus erat; gens ejus jam duobus abhinc saeculis, in his regionibus magnas habebat possessiones; reformatio etiam hîc pervenerat, numerusque reformatorum in dies augebatur. GULIELMUS nomen novae sectae nondum quidem dederat, sed illam jam tum ponderasse videtur, et eo pervenisse, ut persecutiones illicitas judicaret et diceret, „ reddite quae sunt „ Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo." Ab eo inde tempore GULIELMUS ad favorem reformatorum egit, et tute conficere possumus, hoc ab ini-

(14) Vid. VAN DER VYNCKT *T. I. p.* 206. *Apologie van* WILLEM I. *p.* 61. REYD. *Nederlandsche Oorloghen*, fol. 5.

initio illius fuisse consilium, ut, si opus esset, vi et armis persecutiones, quae religionis et conscientiae causa crudeliter agebantur, reprimeret. Commoratus in Gallia cum Hugenotis se conjunxit, ac praesertim cum illo, qui inter eos praecipuum tenuit locum, COLLIGNIO incomparabili illa aetate viro. Haecce animorum conjunctio nobis tantopere profuit, ut absque illa omnes GULIELMI conatus effectu suo caruissent.

Cogitemus jam qui GULIELMI animi affectus fuerint; proficiscebantur omnia ejus acta, ex certa hacce sententia: oportere civibus in cultu Divino celebrando, et in opinionibus de rebus Divinis libertatem illibatam concedi. Fuit hoc omnium GULIELMI rerum gestarum veluti fons, purus ille profecto ac pietatis plenus, sed quem ob ipsam ejus sanctitatem, paucis tantum patefacere potuerit. Etenim si cum Belgis cogitationes suas communicasset, propositum numquam adsecutus nec voti compos factus fuisset; aliae ad hunc finem ineundae erant rationes, nempe libertatis ac privilegiorum violationis commemoratio.

Universe statuendum mihi videtur, multo facilius populum concitaturum esse, qui illi persuaserit privilegia sua violari, quam qui docuerit religionis libertatem opprimi. Me judice, libertas Deum suo more colendi, jus est unicuique competens; jus acquisitum aliquam potestatis partem, jure publico

universali, summo imperanti competentem, exercendi, privilegium. Illa autem thesis a paucis ita intelligitur, et jam tum ea reipublicae erat conditio, ut GULIELMUS, consilia quae sequeretur celare, et alia prae se ferre cogeretur. (15)

Non credimus GULIELMO re vera ita persuasum fuisse de privilegiorum violatione, ac postea magno clamore prae se tulerunt nostrates. Privilegia tum demum violata fuerunt, quum dissidia religionis causa erupissent, et PHILIPPUS ad tuendam religionem romano-catholicam, ea violare coactum se crederet; et in hac rerum conditione ac cogitatione, illa diutius observare non potuit, quum officia erga Deum priori loco exsequi debuerit, quam officia erga homines. Post bellum igitur civile exortum PHILIPPO vitio verti nequit, quod privilegia diutius non observavit; judicans quippe officium sibi incumbere ut Principi, subditos a religione catholica aberrantes, in viam reducere, et a poena aeterna liberare, illud ante omnia alia efficere illi necesse fuit; quapropter omnes suas possessiones perdere, et mori maluit, quam in illa maximi momenti re, subditis aliquid indulgere.

Ab

(15) GULIELMUM auctorem seditionis fuisse etiam PHILIPPUS intellexit; qui anno 1559 Hispaniam petiturus in ipso discessu illi palam manum in sinum inferret, et diceret, *No, no los Estados, mas vos, vos, vos.* (Vid. VAN DER VYNCKT *T.* I. *p.* 116.

Ab eo inde tempore GULIELMUS I adverſatus est PHILIPPO II, uti postea GULIELMUS III LUDOVICO XIV; neque ſtationem ſuam reliquit, nec pro libertate unius patriae dimicavit, verum etiam pro libertate univerſae Europae, eorumque omnium, tum hominum, tum populorum, qui Deum non eo cultu venerantur, quo PHILIPPO perſuaſum esſet ſupremum Numen coli debere. Improbamus igitur comparationem a Cl. HEERENIO inter GULIELMUM I et GULIELMUM III inſtitutam; (16) non quod ii ſumus, qui gloriae Principis ARAUSIACI, GULIELMI III, detrectari velimus, ſed quod nec GULIELMUM I ſua laude fraudari ferendum putemus. Nimirum hoc unice agebat GULIELMUS, ut cultus Divini et conſcientiae libertatem reformatis vindicaret; quod gesſit bellum, uſus illo est in hunc finem, finem attigit, reformatisque perfugium tribuit. Quanti momenti res a GULIELMO I gestae fuerint, testentur tempora, in quae incidit GULIELMI III aetas, quum LUDOVICUS XIV et CAROLUS II, ad *reformationem* funditus evertendam, hisce regionibus bellum inferrent, in quo bello, etſi Reipublicae Batavae everſio tanquam votorum finis et praemium propoſita erat, tamen ipſis reformatis afflictis et exulibus, perfugium praebuit Respublica illa.

Qui

(16) *Handbuch der Geſchichte des Europaiſchen Staaten Syſtems Ed. 2. p. 240.*

Qui fuerint patriae hujus belli eventus, et quemadmodum nostrates a Comite discesserint, et ejus abjuratione nova fuerit exorta respublica, ab omnibus Europae populis pace Monasteriensi libera agnita, quis ignorat? Forma imperii quae tempore GULIELMI I, ab anno 1572 usque ad annum 1584 in Comitatu Hollandiae fuerit, non satis vulgo intelligitur, et jura GULIELMI I quoad summum imperium in illo Comitatu prorsus ignorantur. Transitus tamen ab imperio Comitum ad imperium Ordinum, ejusque origo magni mihi videtur res momenti, ad historiam illorum temporum bene percipiendam, quapropter gradum doctoralem capescere cupiens, periculum facere decrevi disquisitionis: DE GULIELMI I PRINCIPIS ARAUSIAE, LIBERI CULTUS DIVINI, LIBERAEQUE CONSCIENTIAE VINDICIS, JURIBUS, IN SUMMUM IMPERIUM IN COMITATU HOLLANDIAE.

Adjeci commemorationem egregiarum harum GULIELMI virtutum in ipso titulo disputationis, quo melius ejus animus et consilium perciperetur; neminem enim recte cognoscimus anteaquam nobis de iis non constiterit.

Disputationem in quinque tribuimus capita.

Caput I. exponit jus GULIELMI I quoad summum imperium in Comitatu Hollandiae, inde ab urbe Brielâ captâ, usque ad imperium nomine populi, in GULIELMUM delatum; id est ab anno

1572—1574.

Ca-

Caput II. tractat jus GULIELMI I, quoad ſummum imperium in Comitatu Hollandiae, ab imperio, nomine populi in GULIELMUM delato, usque ad foedus Unionis inter Hollandiam et Zeelandiam; id est ab anno

1574—1576.

Caput III. explicat jus GULIELMI I, quoad ſummum imperium in Comitatu Hollandiae, a foedere Unionis Hollandiam inter et Zeelandiam, usque ad PHILIPPUM II abjuratum; id est ab anno

1576 - 1581.

Caput IV. inquirit jus GULIELMI I quoad ſummum imperium in Comitatu Hollandiae a PHILIPPO II abjurato usque ad GULIELMI mortem; id est ab anno

1581—1584.

Caput V. tradit quae in Comitatu Hollandiae acta ſunt, de ſummo imperio GULIELMO I ejusque haeredibus legitimis deferendo.

Jura, de quibus agam, inprimis derivantur e Comitum juribus: ne igitur noſtra disputatio nimis vaga ſit, brevisſime de forma regiminis hujus Comitatus, ante exorta disſidia religioſa, ſententia exponenda erit; his enim praemisſis, eo facilior ipſius argumenti erit disquiſitio. Sed ante quam ad illam aggrediamur, pauca de jure hujus belli monere, a conſilio noſtro non alienum videtur.

Sunt

Sunt quaedam civium jura de quibus Principi ſtatuere non licet, in quibus primum occupant locum, Dei cultus et libera conſcientia; inde tamen non ſequitur ſubditis jus esſe Principi ſe opponere; quod licitum tum tantum credo, quum illos e patria discedere vetat. Unusquisque debet Deum ex ſua animi ſententia colere; quodſi Princeps id plane impedit, praeſtare oportet ſubditum officia erga Deum et ſe tueri vel armis contra Principem ſusceptis. Quodſi igitur PHILIPPUS discesſum e patria noſtratibus non negavisſet, bellum illegitimum vocare non dubitarem; ſed negante pertinaciter PHILIPPO, (17) bellum ab eo inde tempore juſtum et legitimum fuit.

GULIELMUS quoque non tantum recte egit, captis contra PHILIPPUM armis, verum etiam juste egit. Erat quidem GULIELMUS PHILIPPI vaſallus, in qua conditione poſitus, jure belli erga Dominum ſuum nullo modo gaudebat; at conjunctae erant in uno GULIELMO et aliae rationes, a perſona vaſalli prorſus diverſae; nempe ſuſtinebat perſonam Principis Arauſiae, qui erat Princeps cum libera poteſtate, ſummus imperans, jure belli gaudens. Principatus enim Arauſiacus inter gentes enumerabatur, ita ut Princeps juris gentium, in quo jus belli cenſetur, particeps esſet (18). Jure gentium igitur bellum er-

(17) Vid. BOR *L.* III. *fol.* 124.

(18) Sic v. g. PHILIPPUS quamquam Regis Gallici vaſallus, tamen contra eum ſummo jure bellum gesſisſe videtur.

erga PHILIPPUM gerere potuit, et jure gentium illud gesſit. (19)

Imperium pertinet ad fundamenta ipſa ſocietatis civilis; ſocietas enim mihi ſtatus hominum videtur esſe naturalis. Non dubito igitur affirmare imperium pertinere ad esſentiam, ut ita dicam, vitae humanae. Definitur jus a ſingulis civitatis ſociis exigendi id, quod finis ſocietatis, ſive communis omnium ſalus exigat; quae autem ſit illa communis omnium ſalus, Imperantis est judicare.

Qui habet jus exigendi haec a civitatis ſociis, eorumque actiones dirigendi, et ut felicitatem in vita civili adſequantur, ita cogendi, ut adverſus illum nullum detur refugium, is dicitur ſummus Imperans, Princeps, Rector civitatis. Illi vero a quibus princeps exigere potest hasce omnes res, quae ſaluti civitatis expediunt, ſubditi vel ſubjecti nuncupantur. Jura quae principi inhaerent, vocantur Majeſtatica, Regalia, ſummi imperantis.

Illa jura conſiſtunt in regendis civium actionibus, quod nihil aliud est niſi leges conſtituere, easque vel abrogare, vel iis derogare, aut obrogare et commutare, unde ſequitur potestatem legislatricem praecipuam esſe partem juris majeſtatici.

Quum civium actiones ad felicitatem regere non pos-

(19) Vid. *Apollogie* p. 76. et 77. et *Brief by myn Heere de Prince van Orangien ghesonden aen de Coninghen ende andere Potentaten van der Christenheid*, ad d. 4. Febr. 1581.

poſſit hacce poteſtate legislatrice, niſi illi item tribuatur jus cogendi, per ſe intelligitur poteſtatem judiciariam et rationem inſtituendorum judiciorum ad ſummum imperantem pertinere: etenim qui alterum obligatum tenet, hic idem ſimul jus habere debet ab altero exigendi, ut obligationi ſuae ſatisfaciat, eamque praeſtet; recte igitur ad jura majestatica, (quae diximus jura) ea referri, nobis videntur.

Principi incumbit officium felicitati civium in vita civili conſulere, quapropter eos ab omni vi et injuria, cum externa, tum interna, defendere debet: unde conſequitur demandatum esſe ejus curae, omnem bellicum apparatum, cum terrestrem tum navalem, jus pacem faciendi, foedera pangendi, magiſtratus conſtituendi tamquam custodes et vindices legum, cum poteſtate cogendi cives ut his legibus pareant. Sunt ergo magiſtratus quaſi inſtrumenta principis, qui ejus nomine, poteſtatem iis datam, ad ſecuritatem et prosperitatem publicam, executioni mandent; unde ſponte ſua fluit, magiſtratuum poteſtatem ſubjectam esſe ſummo imperanti, atque adeo magiſtratus remanere ſubditos (20). Quae ergo faciunt magiſtratus cenſentur a ſummo imperante fieri, (niſi aperte appareat magiſtratus egisſe contra principis voluntatem) unde recte jure romano, privatus fiebat criminis laeſae majestatis

reus,

(20) Vid. GROTIUS *de J. B. ac P. L. I. C. IV. §. 6. No. 1.*

reus, si pro potestate magistratuve quid sciens dolo malo gessisset (21). Ut autem princeps magnam exerceat auctoritatem, tales eligat, necesse est magistratus, qui virtutis studio, morum integritate et meritis ita ipsi se commendent, ut honore digni judicentur, ut colantur et diligantur loco procerum ac civitatis patrum, ceterique cives in eorum vitam tamquam in speculum intueantur, et inde exemplum vitae bene instituendae sumant. Tum fit quod poëta ait:

Regis ad exemplum totus componitur orbis!

In constituto jure europaeo commemorata haecce principia, non ubivis aeque perspicua reperiuntur, nec tamen illud naturam et essentiam summi imperii commutat. Sic v. g. jure publico universali principi soli jus competit, exigendi a subditis tributa; immunitate tamen a tributis continebatur pars praecipua privilegiorum populorum Europae; quare hoc jus majestaticum numquam in Europa pertinere potuit ad ipsum jus majestaticum.

In imperio germanico principes, qui postea comites ac duces evaserunt, nominatim Hollandiae et Zeelandiae initio non alio jure gaudebant, quam magistratuum ac ministrorum imperii germanici a regibus constitutorum, ita ut vicario nomine, certis regionibus territorii germanici praeessent, cujusmodi territoria fuerunt Hollandia ac Zeelandia. Do-

(21) Vid. *L. 3. ff. ad L. Jul. Maj.*

Donationibus aliisque acquirendi modis imperii, a germanicis imperatoribus in plenum imperium acquisiverunt comites has regiones, quod in Germania postea venit nomine superioritatis territorialis, qualem intelligimus potestatem majestaticam seu majestatem ejusmodi, quae nemini nisi imperio germanico vel imperatori immediate est subjecta, unde illi principes dicebantur Domini territorii. Vi hujus superioritatis territorialis habuerunt principes belgae, omnia illa jura majestatica, majora et essentialia, quae summum continent imperium, et sine quibus summum ac plenum imperium, administrari non possit.

Principes belgae a primis inde temporibus, quo suo nomine agere coeperunt, potestatem habuerunt legum ferendarum, quae partem maxime essentialem superioritatis territorialis constituebat. Primae leges praesertim constabant vetustis populi consuetudinibus, in litteras redactis; his mature accesserunt leges circa agrorum et aggerum curam; quas omnes latas esse a solo comite, sola legum inspectio abunde docet. Urbibus numquam licuit jure proprio statuta condere, neque haec ulterius extendere quam per diserta privilegii verba concessum fuisset, quae concessio vel in perpetuum vel ad terminum duratura erat. Leges quidem ferebant comites cum intimo consilio; sed ex hujusmodi consiliis, fallax est argumentatio ad jus; qua in re inprimis erravere scriptores nostri. Consilia enim num-

numquam alia poteſtate gaviſi ſunt, quam quae in ipſa a comitibus delata fuit.

Comitis praefectus et curia conſtituebantur ut abſentis comitis perſonam referrent, et omnia ſummi imperii jura exercerent, ejusque nomine res politicas, bellicas, feudales, domaniales et juridicas curarent. Cognoscebant univerſe de omnibus iis rebus, de quibus ipſe princeps praeſens cognoscere posſet ac ſoleret, id est, de cauſis regiis, et quae cauſis diſerte reſervata esſent, aut ſua vi ab urbibus judicari non posſent, ſi provocaretur a minoribus tribunalibus, et princeps jure evocandi ad ſe uteretur. Illa autem potestas conſilii pedetentim reſtricta est et imminuta, ſingulari conſistorio cui aerarii adminiſtratio commisſa fuit, et curia feudali conſtituta. Praefectus autem et conſiliarii munere privari poterant a comite.

Comites Hollandiae ut ſummi ac pleni imperantes, etiam habuerunt poteſtatem ac jus cujusvis generis magiſtratus conſtituendi ac deſtituendi. Manebant magiſtratus principis ſubditi ac miniſtri, quoniam omne eorum jus et facultas a principe derivabatur, unde apparet cauſa, quare ipſi ſe vocabant *Comitis Magiſtratus*. Omnes aut a comite ipſo, aut ejus jusſu creati, a nemine praeterquam a comite pendebant, a quo eodem et mandati formulas accipiebant, cui ſoli rationes muneris gesti reddebant, et ex cujus unius aerario, honoraria ſeu emolumenta afferebantur.

Atque illo in magiſtratus jure uſi ſunt comites, usque ad finem imperii CAROLI V, qui poteſtatem in magiſtratibus conſtituendis reſtrinxit privilegio: *de non conſtituendis peregrinis*, quo tamen privilegio non continebantur praefecti et Velleris Aurei equites.

Ab omni tempore fuerunt Nobiles, comites illos ſibi devincire atque omni ope conciliare ſtuduisſe, nemo mirabitur; neque a vero abhorret, nobiles interdum a comitibus convocatos fuisſe, ut cum iis conſilium inirent; haec prima ac vera comitiorum Ordinum origo fuisſe videtur. Illa ex ſolis nobilibus et militibus conſtitisſe certum est, ſaeculo tantum ineunte decimo quinto, comites praeter plurimos nobiles, ad ſe vocaverunt Scultetos, Burgimagiſtros, Scabinos, et aliquot urbium Senatores; atque illa aetate primum occurrit nomen *ſtaten.*

Ab eo inde tempore conventus ille ſenſim ſenſimque magis collegii formam induit; non tamen licebat ſine auctoritate ſummi imperantis convenire, (22) aut ſequentium comitiorum diem ſtatuere.

Co-

(22) Exemplum rationis Ordinum convocandorum inveni in Decretis Hollandiae ad *d.* 10. *Oct.* 1566. *fol.* 51. hisce verbis:

Misſive van den Praeſident van den Hove.

Den Praeſident ende Raeden des Koninghs over Hollandt, Zeelandt, ende Vrieslandt, Edele, Vrome, Discrete, byſondere goede vrienden. *Alſoo ſyne Excellencie den Prince van Orange, Stadthouder Generael deſer Landen, ons geadverteert heeft dat ſyne Excellencie gereſolveert is de Ge-*

Comites enim soli summo imperio fuerunt praediti, sine ullo Ordinum interventu; certissimi nunc juris est, nulla collegia vel corpora ad publica tractanda negotia, sine auctoritate summi imperantis legitime convenire potuisse: e quibus patet Ordines sine jussu, consensu, vel convocatione ab ipso comite, ejusve nomine facta, neutiquam convenire potuisse. Probandum certe foret tale jus a comitibus consecutos fuisse Ordines, quod probari posse plane negamus.

Precariae (*beden*) fuerunt necessariae vel voluntariae: necessariae quae comitibus e domaniis, jure scilicet coloniario, solutae fuerunt. Comites in prisca harum regionum conditione, satis e domaniis suis percipientes, non indiguerunt precariis voluntariis; sed bellandi immutata ratione auctisque impensis aulicis, et crescente rerum gerendarum mole, opes ac divitiae comitum non amplius suffecerunt. Primo tempore pecuniam mutuo acceperunt, sive ab urbibus, sive ab incolis ditioribus, sed imminuentibus hoc modo in diem eorum reditibus, ad precarias voluntarias confugerunt. (Jure publico eu-

Gedeputeerden van de Staten van Hollandt eenige propositie te doen binnen de Stede van Schoonhoven, — Soo is 't: Dat wy u requireren en niet te min van wegen Syne Koninghlyke Majesteyt, onser aldergenadigsten Heere, ordonceren ende bevelen hunluyder Gedeputeerden te senden binnen de Stede van Schoonhoven voorschreven. etc. Apparet igitur Ordines ut convocarentur imperare non posse, sed convocatos convenire debuisse.

europaeo, uti jam monuimus, principibus nullum jus erat tributa exigendi) In hisce precariis voluntariis vel consentiendis vel negandis sola et unica posita fuit Ordinum potestas; qui ut invaluit precarias rogandi mos, et ipse majora in dies incrementa cepit.

Probe tamen notandum est.

1°. Quod comites designaverint singula Ordinum membra. (In Zeelandia illo munere GULIELMUS I anno 1575 adhuc functus est.)

2°. Quod si plures precarias consensissent quam denegassent, negantem haud secus ac consentientem solvere obligatum fuisse.

3°. Post consensum Ordinum, eorum curae nihil amplius relictum fuisse. Comitis enim solius erant quotatio, distributio et collectio precariarum, uti etiam executio in refractarios; adeo ut si illa ab Ordinibus perageretur, a comite petendae essent litterae, quae dicebantur, *exsecutoriae*.

4°. Ordines fuisse subditos ac subjectos. Nulla majori auctoritate fruebantur ac reliqui cives. Quae petebant Ordines a comite vel curia, ea per libellum supplicem petebant, et cum princeps de illo deliberaret et judicaret, stantes ante fores, responsum summi imperantis exspectabant.

Sed ne longi simus, videamus ex Ordinum Trajectinorum testimonio (23) quaenam fuerit Ordi-

(23) Invenitur apud BOR *L.* V. *fol.* 210.

dinum potestas. *Dat die voorschreven Staten, gheen jurisdictie gehadt nochte geadministreert, noch oock eenige Officiers, Wethouders ofte Justiciers die hooghe justitie in den Steden ofte over die platte Landen administreeren, ghestelt hebben: — Dat alle placcaten ghemaeckt, ghedirigeert ende d'executie van dien bevolen wordt, niet den Staten, maer alleen de Officieren, Justicieren ende Wethouders. Dat de voorsz. Staten niet en moghen vergaderen sonder speciale verschryvinghe van syne Majesteyt ofte syne Majesteyts Stadthouder en Raden Provinciael; alsoo dat sonder sulcke beschryvinghe die acte van de Staten ghehouden worden voor nul ende van onweerden: ende geschieden die voorsz. verschryvinghe niet op saecken van Jurisdictie ofte d'officiers ende hooghe Justiciers aengaen. etc.*

Haec fuit imperii forma comitatus Hollandiae, urbe Briela nondum capta, quam observationem hic praemittendam duxi, tamquam hypothesin disputationis, qua minus cognita, omnis nostra disputatio vana foret, — sed quae nulla idcirco probatione indigebat.

Qui autem hanc hypothesin probatam videre cupit, adeat KLUITII opera, IJSINGAE *staatsrecht*, VOORDAE *inleiding op de Criminele jurisdictie*, RENDORP *militaire jurisdictie*, et dissertationes inaugurales virorum doctorum: J. KIEN VAN CITTERS de jure comitum Hollandiae in Magistratus, H. G.

 VAN

VAN PLEUREN de potestate legislatoria, comiti olim Hollandiae, qua summo imperanti, unice propria, D. DEUTZ de judicibus, H. S. VAN SON de natura et indole curiae Hollandicae sub comitibus, P. RENDORP de origine ac potestate Ordinum sub comitibus Hollandiae, H. P. HEENEMAN de precariis comitum, TH. MULLER MASSIS de origine et primaevis functionibus Burgimagistrorum in urbibus Hollandiae et Zeelandiae, J. J. DUVAL de vera mente foederis Trajectini circa Gubernatores Hollandiae ac Zeelandiae: et fontes quibus eorum nititur doctrina; apud Germanos, J. P. LUDEWIG de jure adlegandi S. R. imperii, PFEFFIGERI corpus juris publici ad ductum institutionum R. VITRIARII, HERTII commentationes et opuscula; apud Gallos, DU CANGII glossaria, MOREAU *principes de morale de politique et de droit public puisés dans l'histoire de la Monarchie Françoise*; apud nostrates, PHILIPPUM A LEYDIS, de cura reipublicae, VAN MIERIS, VAN DE WALL, S. VAN LEEUWEN Batavia illustrata, HOYNCK VAN PAPENDRECHT analecta belgica, VAN DER GOES *Registers*, et decreta Ordinum Hollandiae. (*Resolutien van Holland.*) In omni vero hac doctrina necesse est ob oculos habere, verissimum ac certissimum hoc juris publici praeceptum: in imperio monarchico non valere argumentum *ab Ordinibus* desumtum *ad limitatum* principis *imperium* in rebus ad imperium pertinentibus.

CA-

CAPUT PRIMUM.

DE JURE GULIELMI I, QUOAD SUMMUM IMPERIUM IN COMITATU HOLLANDIAE, AB URBE BRIELA CAPTA, USQUE AD IMPERIUM NOMINE POPULI IN GULIELMUM DELATUM, SIVE AB ANNO 1572—1574.

Princeps ARAUSIACUS motus calamitatibus harum regionum, et existimans christiani esse officium omnia postponere et nihil antiquius habere quam ut bona et vitam adeo ipsam profunderet, si modo verus Dei cultus integer servari, vindicari, oppressisque auxilium ferri christianis posset, (1) bis jam suis ipse sumtibus exercitum comparaverat, quos ob penuriam pecuniae post paucos menses dimittere coactus fuit, quum Belgae pauci ei hac in re opem tulissent (2).

For-

(1) Vid. BOR *L.* VI. *fol.* 263.
(2) Vid. BOR *ibid. fol.* 262 *et seq.*

Fortunam quam adhuc terrestri marte adversam expertus fuisset, eam nunc COLIGNIO inprimis suasore mari tentare constituit GULIELMUS, et classe instructa seu potius pauculis navibus armatis quibus LUMEIUM fortem ac strenuum virum praeposuit, ipsis kalendis Aprilis 1572 Brielam cepit, in qua tantum 50 cives inerant, caeteri direptionem metuentes effugerant. (3) Qui autem in urbe remanserant, cum iis qui urbem ceperant, circumierunt insulae loca et incolas jurejurando adegerunt quo sese obligarent, *auxilium se sibi invicem laturos, et urbem defensuros in utilitatem Principis* ARAUSIACI *Hollandiae Praefecti, nomine Regis Hispaniarum* (4). Horum verborum vis quaenam sit atque sententia, inquiram eo loco quo de primo Ordinum conventu in urbe Dordracena agam.

Brielae, Enkhusarum, Vlissingii caeterarumque urbium expugnatio ALBANI ducis animum turbavit, et multo etiam magis illum moverunt Montes Hannoniae a LUDOVICO NASSAVICO invasae. Illam urbem parvo exercitu recuperare non poterat, cum auxilia LUDOVICI a Francis augeri potuissent, neque illam inoppugnatam relinquere audebat, et urbes in parte septentrionali sitas subjicere, quapropter omnes suas copias collegit et Montes petivit, qua opportunitate no-

(3) Vid. BOR *ibid. fol.* 266.
(4) Vid. BOR *ibid. fol.* 267.

noſtrates uſi ſunt, ut ſe erga hoſtium vim munirent.

GULIELMUS eos adhortatus est ut illam opportunitatem non negligerent. KLUITIUS, (5) edidit litteras quas GULIELMUS hoc tempore ad civitatem Goudanam dedit, *circulares* vulgo dicuntur, quod tamquam per orbem ſeu in circulum dimittuntur ad plures eodem exemplo ſcriptae epiſtolae. In quibus omnes ſuos conatus fere evanuisſe declarat, nunc tandem certas quasdam urbes ſuas elegisſe partes, ac ſe ſuo imperio tradidisſe, atque idcirco illos ſe monere et adhortari ſtatim ac palam illud exemplum ſequi et ALBANUM ducem hoſtem patriae declarare. Hae litterae non tantum eo conſilio ſcriptae erant ut vim injustam armis repellerent, ſed ut ex ſingulis urbibus mitterentur legati, (vulgo deputati) qui, ut de rebus communibus conſulerent, ad certum diem convenirent. Inveni ſaltem litteras a Dordracenis ad Gaudanos misſas, quibus ſcripſerunt ſe illam epiſtolam accepisſe, cujus memores, decrevisſent, urbium coetum convocare ad d. 15 Julii, poſtulantes ut illi etiam legatos ſuos mitterent, cujus rei ceteras urbes certiores facturi esſent.

Ille rerum ſtatus ita manſit ad menſem ſeptembris, quum Montibus quae Hannoniae caput erant receptis, ALBANUS dux filium FREDERICUM cum maxi-

(5) *Hiſtorie der Hollandſche Staatsregering*, T. I. p. 374.

maxima exercitus parte in has provincias mitteret. Interea autem Ordines, quorum conventus nobis omnino confiderandus est, convenerant; in illo enim de forma regiminis actum est: ante vero quam ad illum transeo, non erit inutile inquirere, quamnam potestatem in urbibus ac pagis ab hostium vi liberatis exercuerit GULIELMUS, et quo jure exercere illam potuerit?

Quod ad primam attinet quaestionem, extra omnem dubitandi aleam positum esse videtur, principem plenum ac summum exercuisse imperium nullis limitibus circumscriptum. Post felicem contra comitem BOSSUUM urbis Brielae defensionem, jurejurando fere convenerat, urbem pro principis Arausiae commodis tueri. Illi igitur neminem agnoverunt, qui principi auctoritate ac dignitate superior esset, ille iis imperaverat, quibus obtemperandi officium impositum erat.

Idem evenit in parte hujusce provinciae septentrionali, ubi GULIELMUS tamquam summi imperantis vicarius egit. Civitates in sua potestate positas esse judicavit, gubernatorem iis praeposuit, et mandavit qui suo nomine imperaret (6). Gubernatori huic potestatem et auctoritatem concessit eique obedire omnes jussit, opem et auxilium ferre, quod sibi ip-

(6) Vid. *Commissie* et *Instructie van de Prince van* ORANGIEN *op Joncker* DIEDERICH SONOY, apud BOR, *L.* VI. *fol.* 273. *et seqq.*

ipsi ferre debuissent. At dicat aliquis GULIELMUM a burgimagistris, scabinis, consiliariis, civibus et incolis urbium petiisse ut gubernatori obtemperarent, eique auxilium ferrent, eosque idcirco roganti ac petenti negare potuisse. Sed respondemus, illa verba, quamquam stricto sensu petitionem continere videntur, tamen jussui aequiparanda esse: GULIELMUS tantum erga civitates mitiori usus est verbo, quo incolas indulgentiores haberet. Vidimus GULIELMO esse propositum sentiendi libertatem et liberum Dei ac sacrorum cultum tueri; hanc vero causam intelligebat populum non facile excitaturum, nisi adderet argumenta e libertatibus ac privilegiis praesertim urbium violatis petita. Neque caruerunt hae voces, quae semper populum inflammarunt, effectu suo, sed vel idcirco summopere cavendum fuit a suspicione, ne illa violare privilegia videretur, quorum PHILIPPUM seu potius ducem ALBANUM violatorem nuncupasset; verborum erga urbes mitiorum usus amorem earum erga se excitabat, et ita movebat ut suis accederent partibus. Praeterea principum et potentium collegiorum petitiones saepe continent ita jussum, ut, qui rogat, aeque atque ille qui rogatur, sciant petitioni obtemperandum esse, tamquam jussui. (7) Hanc GULIELMI petitionem plane

(7) Talis loquendi modus etiam hodieque valet, vid. *Leg. Fund. art.* 110, 112 *et* 118. Sic in Gallica tyrannide Praefecti acerbissima jussa molliori invitationis voce tegebant; Invitabant autem saevissime.

ne aequiparari posse jussui magis etiam apparebit ex juris principiis, secundum quae GULIELMUS hanc potestatem exercere potuit.

Jam comitem in patria fuisse summum imperantem, et subditos ei plane obtemperare debuisse in omnibus rebus, exceptis tributis, praefectumque unum cum curia absentis comitis vices sustinuisse constat. Praeterea considerandum est, neque GULIELMUM neque Ordines bellum tunc eo consilio gessisse, ut se a PHILIPPO sejungerent, sed ut eum cogerent, liberum sacrorum cultum concedere, et privilegia dicta violata restituere, quodsi PHILIPPUS hisce petitionibus satisfacere voluisset, nullum dubium quin in fide erga comitem mansissent, id quod nostra dissertatione ad liquidum sumus perducturi, certe si voluntati par respondeat successus. (8) De jure PHILIPPO II. summo imperanti competenti numquam dubitaverunt nostrates, sed dubitaverunt de ejus facultate morali, eumque mente captum judicaverunt, qui jure suo in suam, civiumque perniciem intolerandum in modum abuteretur; quapropter ex illa Ordinum doctrina, nulla in forma regiminis ferenda erat mutatio omnesque magistratus in suo loco ita manere debebant, quum praefectus et curia absentis comitis vices sustinerent. Praefectus ille erat GULIELMUS no-

(8) Vid. *inprimis Res. v. Holl. 25 July 1579.*

noster, cujus potestas proxime manabat e comitum juribus, qui absentis comitis vices sustinere debuit, et cum curia etiam fugisset, nunc ex principiis juris publici belgici solus imperium comitum exercuit. Agens igitur ut summus imperans nihil aliud fecit quam quod juris erat.

Videamus nunc quomodo illa res sese habuerit in primo Ordinum coetu.

Et hic jam primo obtutu vidimus Ordines, plane aliam sumentes faciem. Turbarum, quae exstiterant, numquam participes fuerant, quin potius iis obstiterant, et facinora seditiosorum, turbulentorum et implacabilium hominum judicaverant. Imo saepius nobiles consociatos mendicos (*geuzen*) et milites LUDOVICI comitis, hostes publicae tranquillitatis vocaverant (9). Eodem autem die, quo illi qui principis sequebantur partes, in urbem Dordracum convenerant, item Ordines Hollandiae PHILIPPI partibus addicti, a comite BOSSUO convocati fuerunt, et consenserunt precariam voluntariam ad debellandos, ut dicebant, rebelles; et insuper donarunt illi comiti decem millia florenorum (10).

Ut GULIELMUS audiverat, eos, qui suas elegissent partes, velle convenire, ad eos legavit nobilissimum PHI-

(9) Vid. e. g. *Res. van Holl.* 1566. *fol.* 30. *et* 31. 1568. *fol.* 43. 1569. *fol.* 6, 19, 60. 1570. *fol.* 10 *et* 45.
(10) Vid. BOR *L.* VI. *fol.* 279. *et* KLUIT *Hist. der Holl. Staatsr. T.* I. *p.* 49. *n.* 74.

PHILIPPUM a MARNIX dominum a 'ST. ALDEGONDE. Necesſe hoc erat ut coetus legitimus foret; utpote (uti diximus) non nisi auctoritate comitis ipſius vel qui comitis vices gereret, haberi posſent.

Postquam ALDEGONDIUS literas mandati ſui fidem facientes (*credentialen*) tradiderat, eaeque probatae erant, nomine principis praeclarus et eloquens vir Ordinibus auctor fuit, ut precarias concederent, exercitui ſustentando (11). Quibus concesſis, communicavit ALDEGONDIUS cum Ordinibus mandatum (*inſtructie*), ſecundum quod Ordines multarum rerum conſilium et ſententiam rogare debuit. Quaenam illae res fuerint accurate dicere, difficile ſit, nusquam enim notatae reperiuntur. Illud autem ſtatui posſe videtur, praecipue tum actum esſe de GULIELMI tamquam regii Hollandiae praefecti et legati agnitione: BORRIUS enim ea commemorans, ſtatim addit Ordinum decretum quo GULIELMUS agnoscitur.

Fortasſe aliquis quaerat, quare GULIELMUS hanc agnitionem ab Ordinibus petiverit; nam ſi jure illam potestatem hoc titulo exercere potuisſet, Ordinum agnitio minus necesſaria videri debet; ſin autem nullo jure praeditus esſet, ejus petitio immodesta ju-

(11) Elegantisſima illa ſuaſoria ALDEGONDII oratio, invenitur apud BOR *L.* VI. *fol.* 281. *et ſeq.* Non tantum lectu dignisſima est, ut bene horum temporum hiſtoriam intelligamus, ſed et omnium erigens animos, tanquam exemplum eloquentiae doctisſimi hujus viri omnem laudem meretur.

judicanda. Sed illa dubitatio, re bene ponderata, facile ſolvitur. Secundum propoſitum quo provinciae ALBANI dominationem abjecerant, nullum dubium exſtare potest, quin jure GULIELMUS magistratus exercere poſſit, etiam ſi Ordines jura GULIELMI ſuffragiis ſuis rata non habuiſſent. Quae vero ex juris praeſcripto probanda et firma eſſe videntur, ea non idcirco ad effectum ſemper produci poſſunt. Multa enim ſaepe incidunt, quae optime excogitata impediunt quo minus ex auctoris mente ac ſententia perficiantur. Nonne vidimus turbarum tempore omne jus ac praeſertim illud principum pedibus proculcari? Quod ſi verum est, nonne tunc ars politica postulat rationes illas arripere, quae ſi homines ſatis prudentes eſſent, ut aliorum jura revererentur, minime neceſſariae imo pernicioſae fuiſſent? Ponamus GULIELMUM parum curaſſe utrum Ordines ſibi ſuffragari vellent an jura ſua improbare, eosque tum ſpretae memores a GULIELMO dignitatis jura ejus amplius reſpicere noluiſſe: quis quaeſo exitus futurus fuiſſet? Nonne jura exerceri deſiiſſent et vis pro jure fuiſſet? Nonne GULIELMUS propoſitum de ſervanda religione abjicere debuiſſet? Jam vero quum id egerit ut jura ſua rata et probata eſſent Ordinibus, et populi, ut ita dicam, ſanctione contra violatores munita, magiſtratus retinuit, quos ſi amiſerat, finem fortaſſe non attigiſſet. Vidit hoc GULIELMUS, qui ut reformatis

 li-

libertatem Deum colendi et ſentiendi tribueret, magiſtratus exercere necesſe habebat, et propterea potius rogare voluit, ut Ordines jura ſua rata haberent, quam fretus juribus, hanc ipſam facultatem incertam reddere.

Decreverunt igitur Ordines, 1°. Principem ARAUSIACUM tanquam regium Hollandiae, Zeelandiae et Dioecefis ultrajectinae Praefectum et Legatum agnoscere, uti antea fuerat a regia majestate legitime creatus; neque umquam legitime dimisſus, 2°. cum caeteris provinciis contrahere, Principem, membrum primarium Ordinum generalium Belgii, et propterea jure praeditum, Belgii ab omni occupatione et oppresſione tuendi et conſervandi, dignitate et jurejurando adſtrictum, conſiderare ac habere Defenſorem et Caput Belgii, abſente regia majestate. (12)

In quo decreto bene distinguamus: quae continet reſpiciunt formam regiminis, ſed prima verba tantum ſpectant formam regiminis provinciae Hollandiae; posteriora autem, unionem imperii, quae inter provincias ALBANO duci adverſantes exſtare deberet.

Pri-

(21) Vid. BOR *L. VI. fol.* 283. Ultima hujus decreti verba, non ſatis animadverterunt ſcriptores noſtri. Vitium typographicum in hujus decreti textu, inesſe videtur; invenitur apud BOR, *ende mitsdien recht hebbende* OP *'t ſelve Nederlandt van alle invaſien ende onderdruckinghen der vreemden te beſchermen.* etc. Mutemus OP in OM et ſenſus hujus decreti ſatis perſpicuus erit.

Primo decreverant principem ARAUSIACUM tanquam regium Hollandiae Zeelandiae et Dioecefis ultrajectinae Praefectum et Legatum (*Generalen Gouverneur ende Lieutenant des Coninx,*) agnoscere. Satis perfpicua mihi illa videntur verba. *Lieutenant* fignificat eum qui imperat vice alterius; imperabat igitur in illis provinciis nomine regis, ejusque locum tenebat (*Stadhouder*) GULIELMUS. Verbum *Gouverneur* fpectat potestatem quam exercebat, et tanquam titulus tantum habendum. Dixerunt igitur Ordines: GULIELMUS a rege hujus provinciae praefectus creatus est, neque umquam legitime dimisfus, eum igitur regis praefectum agnoscimus.

Intellectu difficiliora ultima hujus decreti verba mihi videntur. Dicitur princeps, membrum primarium Ordinum generalium Belgii, (*een voornaemfte Lidtmaet der Generale Staten des Nederlandts.*) Quid illa fignificant verba? Praefectus erat regius Hollandiae, Zeelandiae, Frifiae occidentalis, Dioecefis ultrajectinae, Flandriae et Bourgondiae. In Brabantia praefecti generalis omnium conjunctarum provinciarum fedes erat, in quâ provinciâ ipfe regnare dicebatur, non tamen regnabat, mos enim erat, nobilem et dignitate confpicuum virum illud exercere munus, quod tempore quo MARGARETHA legata erat GULIELMUS fecerat, qui propterea etiam Brabantiae gubernator credebatur.

ALBANUS dux ab Ordinibus Hollandiae, tamquam

 qui

qui ipſe ſe regi obtulerat et intruſerat, conſiderabatur, et, ut illa voce utar, *invaſor* dicebatur, unde ejus legationem non agnoscebant et GULIELMUM Brabantiae praefecti munus ſustinere putabant. Erat igitur ſeptem provinciarum praefectus, caeteri tantum unius erant provinciae, ita ut inter GULIELMI potestatem auctoritatemque, et caeterorum praefectorum multum interesſet, et hanc ob cauſam recte dicebatur primam et potentisſimam in his regionibus perſonam ſustinere et hactenus primarius vir atque adeo caput Ordinum generalium erat.

Propterea jure gaudebat Belgium ab omni occupatione et hostium oppresſione tuendi ac conſervandi. (*ende mitsdien recht hebbende om 't ſelve Nederlandt van alle invaſien ende onderdruckinghen der vreemden te beſchermen.*) PHILIPPUS abſens judicabatur et veluti incapax: ALBANUS invaſor; nemo igitur erat qui vinculum inter conjunctas provincias ſuſtineret, qui princeps omnium esſet provinciarum, et quum in omni civitate imperium esſe debeat, recte judicarunt Ordines, omnia quae ad exercendum in civitate imperium necesſaria esſent ad illum pertinere, qui plurimum poteſtate atque auctoritate valebat. Sed GULIELMUS id exercere non tantum jure poterat, ſed officium illud exercendi ei poſitum erat, quippe qui ſacramento ſeſe in id obligasſet, ut quidvis potius pateretur quam ut patriae deësſet, (*als daartoe by eere ende eedt verbonden*

we-

wesende) primus enim magistratus semper ad interim defuncti magistratus, vel absentis summi imperantis locum occupare tenetur. Hanc ob causam Ordines dubitare non potuerunt GULIELMUM considerare ac habere Defensorem et Belgii Caput. (*Hebben ghesloten den Prince voor Beschermer en Hooft deszelven Landts* (*Nederlandt*) *in afwezen der Coninclyke Majesteit te kennen, aansien ende daarvoor te houden*).

Eo tempore fieri non poterat ut Ordines voti compotes fierent, in quem finem exigebatur ut caeterae provinciae insurgerent contra ALBANUM et Hollandiae exemplum sequerentur. Illam potestatem tamen acquisivisset, et ab omnibus provinciis, absente comite, caput Belgii agnitus fuisset, propter omnes quibus fungebatur dignitates, et quibus omnibus praefectis antecellebat, nisi belgicorum nobilium invidia intercesisset. Nam etsi GULIELMUS magistratibus iis honorum splendore multum praeibat, illi tamen eum tamquam nobilem et sibi parem agnoscebant, neque ferre poterant, ut dignitate ceteris antecelleret.

Sed praeter potestatis magnitudinem, non minorem auctoritatem comparavit acumine ingenii. Solus fere inter nobiles sapiens ac prudens fuit, et propterea solus dux et caput talis esse potuerit incepti. Hac in re agnoscamus singulare in divinam providentiam, qui ei viro, qui fere solus prudens inter nobiles fuit, ac solus ob egregias animi ingenii-

que

que dotes, caput hujus insurrectionis esse potuit, tali potentia et splendore munivit, et ita in unum contulit virum, cultus divini defensorem, conditiones ad illud opus perficiendum maxime necessarias, prudentiam et splendorem. Si ceteri vel tantum pauci ejus pares in his fuissent, certe impiae violentiae propulsandae conamina eventu fuissent destituta; atque illa concordia, quae sola parvis viribus magnam praebet vim, abfuisset et discordia atque invidia rem periclitantem perdidisset.

Major GULIELMI dignitas diu multum profuit. In omnibus provinciis, quae ejus elegerant partes caput civitatis agnoscebatur, sed eadem major potestas deinceps ei inimicos peperit. Invidia atque aemulatio omni tempore exstiterunt, tantum differebant impetu, brevi post magnus fuit ille impetus, cujus ardorem vidimus in MATTHIA gubernatore generali creato, in seditionibus gandavensibus, in proditione comitis a RENNENBERG et rupta pacificatione gandavensi. Nobilibus Brabantiae ac Flandriae imputo Ordinum Hollandiae desiderium, in parte secunda hujus decreti comprehensum, non impletum.

Suo loco occasio nobis dabitur plura de iis dicere, nunc satis sit verbo voluntatem Ordinum Hollandiae indicasse atque explicasse; redeamus jam ad primam decreti partem, et ostendamus GULIELMUM non tantum jure exercendi comitis imperium praeditum fuisse, verum etiam illud re vera exercuisse. Quod ut

ut plane apparet, ſi inſpicimus, quae apud BORRIUM ſequuntur, ubi Ordines dicuntur, quid de navibus bellicis principis (*op 't ſeyt van de oorlogſchepen van den Prince*) ſentiant, dixisſe. (*Hebben gheadviſeert.*) Duo animadvertenda habeo; quorum alterum est, Ordines non loqui de navibus bellicis ſuis, aut civitatis, ſed principis; quodſi princeps ſummum imperium non revera et optimo jure exercuisſe illis viſus fuisſet, profecto ejusmodi quibus uſi ſunt verbis, abſtinuisſent. Alterum est, Ordines tantum quid ſentiebant dixisſe, qui tantum ſententiam proponit, certe ſummum non exercet imperium, ergo Ordines ſummum imperium non exercuerunt. Comes aberat, neque ille igitur ſummum exercere potuit imperium, in omni civitate aliquis adesſe debet qui illud exercet, (nulla enim civitas ſine imperio) ergo, cum comes et curia abesſent, neque Ordines ſummum tenerent imperium, ſolus GULIELMUS regius praefectus illud exercere potuit. Id autem multo etiam clarius et plenius apparet e *deputatis*, qui cum comite LUMEIO agebant, ut bona disciplina et ſecuritatis custodia esſet (13); e petitione principi facta ut inſtrumenta ac documenta, quae Goudae erant, urbibus daret; e petitione comiti LUMEIO facta, ut curaret, ne conſiſtorio, cui aerarii adminiſtratio commisſa fuit, conſi-

(13) BOR. *ibid.*

ſiſtorio in quo chartae atque acta publica cuſtodiebantur, tabulario forenſi, vel conſiſtorio in quo Ordines Hagae Comitum conveniebant, damnum afferretur; e petitione principi facta ut legatos in Daniam mitteret, qui rogarent ut navigationem in Amſtelodamum prohiberent (14). Sed de his jam ſatis egimus, ex iis enim abunde patet, Ordines de his rebus decernere non potuiſſe, ſed tantum principem rogare, ut edicta ferret.

Princeps ARAUSIACUS etiam erat qui edicta ferebat; ille per ALDEGONDIUM declaravit ſe velle ut plena religionis foret libertas, tam reformatis quam catholicis, ut quisque libero cultus divini exercitio publice uteretur, qua in re nemini impedimentum opponeretur, et ut ſacrorum miniſtri innocui manerent, niſi inimicos ſe praeſtarent vel contra leges agerent (15). Ordines ſe his non oppoſuerunt, ſed tantum dicuntur, ſe ad GULIELMI voluntatem conformaſſe, (16) unde tute concludere poſſumus eos GULIELMI poteſtatem infitias non iiſſe. Sed luce clarius quod de GULIELMI poteſtate diximus, apparet e decretis et edictis, (*ordonantien en plakaten*,)

(14) BOR *ibid.* WAGENARIUS *T. VI. p.* 378. de his Ordinum petitionibus agit, qui nota *o p.* 379. dicit ſe BORRIUM (quem ſecuti ſumus) ſecutum eſſe, in plurimis tamen hic a WAGENARIO diſſentio, uter noſtrum meliori fide BORRIUM ſecutus ſim, judicet aequus lector.

(15) BOR *ibid.*

(16) BOR *ibid.*

ten,) e quibus nullum remanere potest dubium, quin Ordines tantum circa tributa quandam exercuerint poteſtatem. Animadvertendum est decreta (*ordonantien*) ab Ordinibus lata fuisſe et ſignata ab eorum advocato; edicta (*plakaten*) vero, lata fuisſe a GULIELMO et ab ejus actuario ſignata. Decreta tantum agunt de tributis, (17) edicta de caeteris rebus (18).

Quaeratur nunc, penes quem fuerit ſumma potestas cum jure tum actu? Reſpondemus: apud GULIELMUM ARAUSIACUM. Qui impotenti Hiſpanorum dominationi obſiſtendi conſilium iniisſent, iis non ea mens erat; ut a rege deficerent aut plane novas res molirentur, immo regi ſeſe ſubjicere volebant, et hanc voluntatem palam profitebantur quam primum rex ad bonum frugem redire vellet, religionis libertate in integrum reſtituta, inſtauratisque privilegiis dictis violatis. Nemo unus ſe comiti opponebat, ſed tantum ALBANO Hiſpanisque (19). Comes igitur agnitus erat ſummus imperans, ſed cum abesſet, ejus praefectus GULIELMUS ejus exercere imperium et locum occupare obſtrictus erat. Forma regiminis in eodem manſit ſtatu, quo CARO-

LI

(17) Vid. *Reſ. v. Holl.* 1572 *et* 1573. *fol.* 1—11.

(18) Vid. *Reſ. v. Holl.* 1572 *et* 1573. *fol.* 12—26.

(19) Egregie illud argumentum tractavit Cl. KLUITIUS in *op. cit.* Quae diximus praeterea apparent e plurimis actis publicis.

LI V. caeterorumque comitum tempore fuit, quapropter Ordinibus jure nullam majorem tribuimus poteſtatem, quam ſemper habuerunt, i. e. circa tributa principi aut concedenda aut deneganda.

Sed illa potestas quamquam parva ſit reſpectu ejus, quam homines Ordinibus Hollandiae hujus temporis tribuere ſolent, tamen ſaepius apparebit et noſtrum erit ostendere, quemadmodum Ordines illa abuſi ſint, et tyrannidem contra GULIELMUM affectarint, cujus exemplum in hiſtoria vix invenietur, et quae pugnam vim inter et jus peperit, qua vis, GULIELMI jus

Stravit humum, ſine clade victrix;

Et certe illa patriam et religionis cauſam perdisſet, niſi GULIELMUS tam conſtans et idem tam mitis ac patientis naturae atque indolis fuisſet.

Plura GULIELMUS Ordinibus concesſit, ſperans fore, (ut mihi videtur) ut eos in tributis concedendis faciliores redderet. Edicto enim quaedam concedit (20), post ſummam pecuniae acceptam, uti patet ex edicti exordio. Sed et cauſa esſe potest militum licentia, quam coërcere voluit; etenim, teste BORRIO (21), hi ita omnia ſpoliabant, ut plures principis cauſae addicti, quum hac conditione diutius uti nollent, patriam relinquerent.

In

(20) Invenitur *Groot Placaat Boek T.* III. *p.* 32. *et* BOR *L.* VI. *fol.* 291.

(21) *Ibid.*

In eo laudat Ordines ob concesſa tributa ad ſolvendos milites, et auxilium praeſtitum ut jugum albanicum et hiſpanicum excuterent. Deinde pergit ad hujus edicti rationes, ſtatuitque, quo incolae promisſas pecuniae ſummas contribuerent, requiri, ut regio florens maneret, et cives perſeverarent in illa erga ſe affectione; quem in finem necesſarium fuit, illas provincias in earum conſuetudinibus, libertatibus, privilegiisque conſervare, et ut Ordines contenti esſent, eas certa regere diſpoſitione, quapropter ſtabat ei ſententia, nihil ſibi agendum esſe, niſi ante, quid ſentirent Ordines, rogasſet, quo ipſe melius intelligeret regionis conditionem, incolarumque naturam et indolem.

Edictum illud continet:

1°. Quo regio in antiquam reſtituatur libertatem, licere Ordinibus per deputatos omnia privilegia quae Goudae ſint, recenſere, ac deſcribere.

2°. Quo domania et reditus conſerventur, reſtitui conſiſtorium, cui aerarii adminiſtratio commisſa ſit, et Ordines eligere tabularios eorum loco, qui munera dereliquerant. Hos *ad interim* confirmat, ut cum iis, qui remanſerant, curent domania non minui et pecuniae ſummas rite impendi ſecundum ſuam voluntatem. Quare praeter ſolitum jusjurandum jurare debent, huic edicto ſe obtemperaturos esſe et officia praeſtituros, ut illa regio a tyrannide albanica et hiſpanica liberaretur.

3°. Eandem iis dat potestatem iisdemque conditionibus circa tribunos aerarii et quaestores.

4°. Iis permittit nominare eos qui colligerent et solverent pecunias ad bellum gerendum designatas.

5°. Centuriones et ductores jurare debent se praefecto Hollandiae Zeelandiae Frisiae occidentalis et Dioecesis ultrajectinae, uti etiam, Ordinibus Hollandiae fideles fore, (22) quo hanc terram liberarent a tyrannide albanica et hispanica, in utilitatem regiae majestatis, Hollandiae comitis.

6°. Omnia bona eorum, qui se hostes declararunt, statim a magistratibus hujus loci in codicem referri et fructus a tribunis domaniarum percipi debent.

7°. Fiat illud item respectu bonorum in dominio eorum, qui se sibi non accommodant, vel domicilio derelicto, citati non revertuntur, donec se sibi accommodent vel in locum domicilii revertantur, eo consilio ut ex bonis solvatur illis, quibus aliquid deberent.

8°. Bona vicinorum dominos sequi possunt.

9°. Quodsi magistratus vel munus publicum vacet, consistorium cui aerarii administratio commissa est illud elocabit.

10°. Centuriones ei Hollandiae Praefecto praeter so-

(22) Quamvis hoc articulo non augebatur Ordinum potestas, tamen eorum dignitas et splendor augebantur; animadvertatur tantum nullum antea magistratum vel militem Ordinibus jusjurandum praestitisse.

folitum jusjurandum mutatis mutandis jurabunt, fe illud in omnibus exfecuturos edictum, et omni ftudio illam regionem a tyrannide albanica et hispanica liberaturos, cum deftitueret et exularet omnes qui munus jam adiisfent, illudque non exfecuti fuisfent.

11°. Nemo in Hollandia tributa imponat, nifi Ordines hujus provinciae, quibus fpeciatim dat auctoritatem, illas pecuniae fummas invenire, quas illo petente ei concedere decreverunt, tributis quae optima judicarent, imponendis. Quare nummi a praefectis qui vel fingulis provinciis vel parti earum certaeve ditioni praeësfent expoftulati, tradendi funt quaestoribus ab Ordinibus nominatis, qui earum calculum faciant: et, ut aequalitas inter omnes exftet, imputentur hi nummi.

12°. Ut justitia, fundamentum confervationis reipublicae, refurgat, Ordines omni diligentia nomina praefentium confiliariorum (*Raadsheeren*) mittent, iisque addent viros primarios, qui confiliarii fint, ut ex iis interea curia ea conftituatur, quae justitiam administret, et judicet de bonis allatis utrum publicentur nec ne.

13°. Dimittit omnia mandata mari et jubet centuriones aliosque agere fecundum mandata, quae una cum Ordinibus hac de re feret.

14°. Ut publica tranquillitas et ftatus pacis in Hollandia confervetur, jubet centuriones, duces,

eos

eos qui exercitui praepoſiti ſunt et magistratus jurare, ſe obſecuturos esſe edicto Roermondae edito (23).

15°. Cum ipſe Hollandiam nondum petere posſet, jubet omnia, quae Hollandiae praefecturam ſpectent, adminiſtrari a comite LUMEIO adhibitis conſiliariis ab Ordinibus nominatis, eo tamen conſilio, ut de iis quae verſantur circa ſalutem publicam vel politiam nihil ſtatuat, niſi antea Ordinum ſententiam rogaverit.

16°. Urbes regentur a ſuis magiſtratibus, ita tamen, ut ſi utile judicet earum conſervationi, rogata Ordinum ſententia, gubernatorem nominare posſit (24).

Si quis num GULIELMUS revera ſummum imperium exercuerit, etiamnum addubitet, huic certe dubium, cognito hoc edicto, evaneſcet omne. Princeps enim ARAUSIACUS edit edictum ſecundum quod comitatus Hollandiae regatur. Jus tale edictum conficiendi certe pertinet ad regalia; nemo enim illud conficere potest, niſi qui vel ſummus imperans ſit, vel ſummum exerceat imperium, quapropter GU-

LI-

(23) Invenitur in *Reſ. v. Holl.* 1572. *et* 1573. *fol.* 12.

(24) Quae prorſus illam comitis LUMEII ſpectant potestatem inveniuntur in *Commisſie en inſtructie by den Prince van Orangien gegeven aen den Grave van der Marc*, quas edidit BOR *L.* VI. *fol.* 203. *et ſeqq.*

LIELMUS, qui hoc ediderit edictum, certe summum imperium exercuisse debet.

At dicat fortasse aliquis, illo edicto GULIELMUM incolarum libertates et privilegia violasse! Quid? tu, qui principum ARAUSIACORUM jura minuere et quominus ea quae habent jura exerceant, impedire studes in favorem Ordinum, non animadvertisti eos nil respondisse? Credasne eos tacituros fuisse si violasset GULIELMUS eorum subditorumve jura? Minime! semper Ordines Hollandiae detrectare studuerunt principum ARAUSIACORUM juribus (multa in nostro specimine occurrent exempla) et qui eos novit, adscribet sese meae sententiae, eos omnia potius concitaturos fuisse, quam ut sivissent GULIELMUM majestaticum exercere jus, si illud ei non competisset. Sed Ordines tacuerunt et obtemperarunt, quapropter quae in favorem Ordinum dici solent, custodivisse eos subditorum privilegia, hoc loco probant, Ordines agnovisse GULIELMI jus tale edendi edictum quod tantum is edicere potest qui summum exercet imperium.

Dubium alius generis nobis solvendum videtur, quo jure nempe GULIELMUS qui summus non erat imperans, edictum, quod summi imperantis erat, edixerit et privilegia concesserit? Respondemus: tantum ad tempus data erant, cum GULIELMUS sibi reservaverit jus edictum illud antiquandi; et hanc ob rem jura majestatica non minuit, quae

certe minuisset, si illa in perpetuum dedisset, et quae minuere non licet illi, qui tantum absentis imperantis occupat locum. Sedulo igitur animadvertamus GULIELMUM illam regiminis formam tantum ad tempus constituisse eamque pro lubitu antiquare potuisse, et ab eo inde tempore jura majestatica, quibus usus erat in illo edicto promulgando, iterum exercere potuisse, tamquam comitis praefectum, ejus absentis locum occupantis, ejus vicarii (*Regent*).

Quod autem ad privilegia, quae ad tempus GULIELMUS Ordinibus concessit, attinet, fortasse de iis dicendum esset, eum nimis iis concessisse et ita individuam imperii vim et efficacitatem debilitasse. Et vero haud ignoramus eum se tantum obstrinxisse ad eorum consilium rogandum, et certe nudum consilium neque obstringit accipientem neque solum per se culpam aliquam imponit danti, adeoque legislatricem potestatem omnem integram servasse videtur GULIELMUS, quapropter consilia dandi potestas per se potius auctoritas quaedam, quam potestas esset; sed in consiliis dandis moram facere poterant, et ita GULIELMI propositis obstantes, saluti publicae obesse (25).

Gu-

(25) Illa auctoritate re vera abusi sunt Ordines. Ne tamen exinde quis colligat me accusare harum regionum incolas quorum egregiis facinoribus nostram tribuam salutem; publice profiteor, Ordines meo judicio non populi sed optimatium fuisse le-

Gulielmus, illo edicto suam minuente auctoritatem et juribus in magistratibus constituendis, formam regiminis aliquantum mutavit; quae mutatio vulgo non satis intelligitur. Audio nempe nonnullos, qui ex iis de quibus Dordraci convenerant Ordines, et ex gulielmi promissis de non agendo sine Ordinum consilio, argumentum petunt quo illi Ordinum potestatem probari putent: immo quasi Ordines praefecto fuissent superiores; sed hujusmodi consecutiones valde negamus. Quod enim gulielmus declarat se non acturum sine Ordinum consilio, non e juris regulis, sed tantum e regulis prudentiae oritur; potuisset enim princeps id omittere; sed aliter tunc suasit prudentia; nihil agere se velle sine eorum consilio, ipse dixit, *so dien die gelegentheyt des Landts, ende de humeuren van de Inghezetenen van dien best kennelyck zyn*, et ad nihil absque eorum consilio agendum se obligasse videtur, ut eos mitiores et in tributis concedendis faciliores redderet.

Mirum videtur homines in multis caussis noluisse reputare quantum intersit *consilium* inter et *consensum*,

legatos quorum saluti unice prospiciebant cuique populi salutem postponebant; e tota enim nostra historia patet paulo diligentius consideranti, principes arausiacos contra Ordines populi partes sustinuisse, populumque eos, praesertim hanc ob caussam dilexisse; atque hoc inprimis intellectum est in gulielmo III. et gulielmo IV. Gubernatoribus.

ſum, cum tamen magna ſit differentia utrum quis ſe obliget ad nihil agendum ſine *conſilio* an ſine *conſenſu* alicujus. Quae differentia quamvis luce clarior appareat, tamen cum in iis ſaepiſſime lapſi ſint ſcriptores noſtri, inutile non erit hanc paulo latius explanare. Conſilium per ſe non obligat, niſi obligatio appareat e propoſito; ſic diſtinguendum utrum dicatur, nihil agere promitto *ſine conſilio tuo*, vel *ſententia tuâ non audita*, an vero, nihil agere promitto *contra conſilium a te mihi datum*; e prioribus promittentem ſequitur obligatio nihil agendi, *niſi antea audiverit quid ſentiant illi, quorum ſententiam rogare promiſit*, e poſteriori, obligatio nil agendi *contra conſilium datum ab iis, quorum conſilium rogare promiſit*, nullo caſu conſilium aut ſententia vim juſſus habet. Quodſi princeps *ſe Ordinibus ſubjicere voluiſſet*, tunc ſe obligare debuiſſet *ad nihil agendum niſi eorum juſſu*; *ſi ſummum cum iis participare voluiſſet imperium*, ſe obligare debuiſſet *ad nihil agendum niſi eorum conſenſu* aut *contra conſilium ab iis datum*; ſed tantum promittit ſe nihil acturum, niſi *eorum conſilio audito*, (*by advyſe*) (26)

id

(26) Verba ſunt: *Hebben tot dien eynde voorghenomen daer inne niet te doen of t'ordonneren dan* by advyſe *van de ſelve ſtaten, ſoo dien die gheleghentheydt des Landts ende de humeuren van den Ingeſetenen van dien best kennelyck zyn.*

id est, nisi antea quid ſentiant, pronunciaverint ſententiamque cum eo communicaverint. Verum non tantum differentia conſenſum inter et conſilium patet ex etymologia verborum; videamur tantum horum verborum uſum in vita quotidiana. In unaquaque fere regione rex debet Concilium - ſtatus rogare ſententiam et conſilium, ſed exinde non tenetur ſe conſilio accommodare, vel concilio exinde jus non naſcitur leges ferendi, vel ut majeſtaticarum fiat particeps. Rex audit quid ſentiant conſiliarii et ſolus edicit (27). Ita res ſemper ſe habuit, etiam tempore GULIELMI I. (28) Plane igitur rejicimus ſententiam, GULIELMUM ab eo inde tempore imperium participaſſe cum Ordinibus, cujus eos numquam participes fecit. Qui illa contendit, ignorat horum temporum hiſtoriam, quibus nondum cognitum erat illud ſequiorum temporum principium, principem tantum partem imperii exercere poſſe, quum illud cum po-

(27) Vid. v. g. *Leg. noſtr. Fund. art.* 73.

(28) Recte conſiliariorum munus deſcripſit J. RAU Vir Conſ. et Amiciſſ. *p.* 58. *laud. Diſſ. Inaug.* „*Conſilium* dici„tur conventus hominum, qui deliberandi cauſa loco et tem„pore conſtituto conveniunt; hinc conſiliarii ſunt viri egregii, „adjutores et ſuaſores principis, quibus commiſſa est cura de „rebus quibusdam deliberandi, ita ut deinde omnium de illa „re opinionibus collectis, principi res proponatur, eique oſten„datur quid utilius quid melius foret, et a qua parte haec „vel illa ſententia ſe commendat; quibus peractis regis est eli„gere et decidere, quaenam ſententia ipſi maxime placeat. — „Sic igitur apparet conſiliariorum munus non eſſe *imperare*, „quum imperium ſit penes principem."

populo communicandum esset, eoque minus, principem agere non posse nisi jussu populi, verbo: principem esse populi subditum.

Eodem jure rejicimus sententiam eorum qui statuunt illa verba tantum valere de privilegiis et libertatibus de quibus in superioribus agitur, unde sequeretur GULIELMUM tantum promisisse circa privilegia et libertates nihil agere, nisi antea Ordinibus, quid sentiant, rogasset. Me judice, illa verba non tantum ad privilegia referri debent; circa privilegia enim necesse non erat quaerere consilium quorundam e populo, quoniam illi regionis conditionem incolarumque naturam et indolem melius noscerent, et perinde eum in rebus agendis ita adjuvarent ut in obscurioribus rebus prudentiae lucem illi praeberent. Mihi igitur videntur illa verba de omnibus rebus valere, et GULIELMUS se obligasse in omnibus rebus, antequam edictum feret, rogare quid sentirent Ordines. (29)

Unde haec nobis conclusa ratio est.

1°. GULIELMUS omnem potestatem legislatricem atque executricem exercuit, et justitiae curam jure ha-

(29) Optime illa descripsit SLINGELANDT, *Staatkundige Geschriften*, T. I. p. 92. *De Staaten begreepen, dat de exercitie der legislative magt, en in het generael gesprooken, van de Hooge Overheid, geduurende den oorlog toequam aan de Prins, als Stadhouder, en in die qualiteit bekleedende de plaats van de Graaf: en de Prins van syne kant was van die voorsigtigheid in het gebruiken van syn geleende* (a comite) *magt, dat hy niets deed, nog ordonneerde, als met advis en deliberatie van de Staaten.*

habuit, et praeterea aeque usus est omnibus comitum praerogativis, excepta aerarii administratione, et magistratus constituendi plena potestate, quas sive in totum sive pro parte Ordinibus concesserat.

2°. Ordinibus competiit aerarii curâ, cujus partem jure suo, partem GULIELMI gratia possidebant, et jura quaedam in magistratibus constituendis.

3°. Obligatio, quam susceperat GULIELMUS nihil agendi, nisi antea Ordines quid sentirent rogasset, nullam iis dedit potestatem, sed tantum auctoritatem et dignitatem.

Usque ad illud tempus cum ALBANUS dux filium FREDERICUM cum magna exercitus parte in Hollandiam mitteret, status eorum qui contra ALBANUM arma capessiverant tranquillus fuit, sed nihil etiam metuere potuerunt, cum copiae hispanicae quae circa hanc manserant provinciam nihil efficere possent; nunc autem externae pacis statu mutato effugit pax interna et locum fecit impetui violento.

Statim post GULIELMI adventum (ad d. 20. Oct. 1572) cum ubique eum populus magno plausu clamore ac laetitia recepisset, ille Harlemum petiit, ubi Ordines convenerant, qui eum opperiebantur; et hic gratus populus ad eum magno cum gaudio adventabat. Ordines autem ei ostenderunt suum erga eum animum benevolum, fidem et voluntatem propitiam. Significarunt quantis se periculis exposuissent unius principis gratiâ, et cum soli hostem praepotentem depellere

non

non posſent, petierunt ab eo ut aut ostenderet praeſens auxilium aut ſaltem adfuturum, quo imminens periculum avertere et optatum propoſitum attingere posſent. (*die oochſchijnlijcke en gheloofweerdige middelen.*)

Non ſine ſenſu moeroris haec chartae mandamus, mihi vero illas maculas noſtratum memoriae prodidisſe vitio verti nullo modo poterit, qui ne latum unguen quidem a veritate et historica fide me avelli pasſus ſum. Ita re vera locuti ſunt Ordines BORRIO (30) et MEETERENO (31) testibus, et jura quae defendimus iis parcere vetant. Quis crediderit Hollandos GULIELMUM his verbis allocutos fuisſe? Hollandos dixisſe ſe in periculo verſari ut ei inſervirent? GULIELMUS perdiderat auctoritatem dignitatemque in regia Europae potentisſima, potestatem magistratusque quos jam adeptus et porro adepturus erat, quas posſidebat innumerabiles divitias vendiderat, oppignoraverat, impenderat in utilitatem praeſertim noſtratum, ut iis integram Deum colendi libertatem vindicaret. Et quid ſibi comparare posſet? quam tenuis et exigua ſpes illi erat fore ut finem attingeret? nullâ non vitae horâ mortem ante oculos habebat et, ſi forte PHILIPPUM cogere posſet ut ea nostratibus concederet et ſe cum iis reconciliaret, quaenam illi ſpes erat, ut quae perdide-

(30) *L.* VI. *fol.* 303.
(31) *L.* IV. *fol.* 74.

derat, reciperet? PHILIPPUS, qui eum, fautorem ac ducem non tantum ſed et auctorem omnium quae adverſus ſe ſusceptae erant conatuum, et rebellionis artificem unum, et metuebat et deſignabat GULIELMUM.

Utinam Hollandi numquam iterum talibus in principem utantur verbis, ſed grato atque ab omni pervicaciae labe puro animo eum venerentur, qui cum commoda et omnia fortunae bona vitamque ipſam devovisſet, nobis christianis donum tribuit gratisſimum: integram cum Dei colendi tum ſentiendi libertatem!

Quomodo illa verba GULIELMUM affecerint unusquisque ſentiet; at ea pasſus est; ut verum christianum decet religioni fidelis manſit, eosque placatos reddidit; quid autem iis dixerit non inveni, reticentia juſſa videtur.

Anno 1573 apparuit *concilium*, quod fere videtur conſtitutum ut omnem formae regiminis proficiscentis e veris principiis juris publici belgici notionem perimeret. Inquiramus ejus originem, et certo certius illam ſtatuere non posſumus; petamus ejus praeſcriptionem, neque inveniemus; exploremus ejus potestatem, neque aliquid certi apparebit. Pauca tamen quae de eo inveniuntur explicanda ſunt, cum ex iis ſtuduerint nonnulli GULIELMI minuere potestatem, quibus niſi reſpondeamus, adverſarii fortasſe ſilentio praeterire nos arguerent id

H quod

quod aperte defendendum erat, adeoque nostram hac parte deseri dictitarent pro GULIELMI juribus tuendi susceptam provinciam. Inquiramus igitur:

1°. Quinam illud concilium instituerit, 2°. quaenam hujus institutionis fuerit causa, 3°. quaenam fuerit ejus potestas.

1°. Pauca quae hac de re inveniuntur tradidit BORRIUS (32) qui dicit Ordinum consilio (*by advys*) ejus membra electa fuisse. Illi igitur tantum quid sentirent pronunciaverunt, neque re vera concilium instituere potuerunt. Jus enim collegium in administratione publica instituendi ei competit, qui summum exercet imperium, quod GULIELMUS solus exercuit, adeoque solus collegium jure instituere potuit. Non dubitamus igitur quin GULIELMUS re vera hujus concilii fuerit auctor.

2°. Quaenam hujus concilii instituendi fuit causa? Videbimus illi concilio facultatem imperandi tributam fuisse. GULIELMUS solus imperare poterat; ergo et solus imperandi juris partem concedere. Ille igitur huic concilio hanc tribuit facultatem; quare autem illam concesserit intellectu difficile non videtur. GULIELMUS enim fere semper exercitui praeërat, et cum bellum ab illa provincia repellere vellet, saepius in Brabantia et Flandria degebat, quapropter difficile ei erat, aut fere ἀδύνατον hanc

(32) *L.* VI. *fol.* 331.

hanc regere provinciam. Quapropter ne administratio publica impediretur, cum ipse abesset, quasdam personas nominavit, qui locum suum occuparent, et cum saepe abesset, praesens etiam fortasse indiguit aliorum auxilio. Ergo causa hujus concilii instituendi mihi videtur fuisse, ut imperii frena, cum ipse abesset, tenerent consiliarii, et cum adesset, adjuvarent suadendo.

3°. Quaenam ejus fuit potestas? BORRIUS (33) illam paulo amplius descripsit. Summa eo redit: ut adjuvaret in administratione reipublicae, (*te helpen beleyden*) nomine principis ARAUSIACI. Quod si illa BORRII verba latiori accipiamus sensu aperta adesset repugnantia. GULIELMUS enim summum exercebat imperium, si huic concilio concedamus imperandi potestatem generalem, duae essent potestates, duo summi imperantes, uterque imperare, edicere, (et fortasse sibi opposita edicere) poterat, quod absurdum foret. Accipiamus illa igitur strictiori sensu, quod certe nobis licet, quoniam universe dicitur, illud concilium constitutum esse, ut principem adjuvaret, ei auxilium ferret in administratione reipublicae, quale consilium constare potest in *agendo*, sed etiam in *consilio dando* in *sententia ferenda*, et ita nobis explicationis memoratae occasio praebetur, quod nempe tantum insti-

tu-

(33) *l. c.*

tutum fuerit, ut imperii frena, cum princeps abesset, teneret, et si adesset, adjuvaret ac suaderet. Fuit illud concilium, concilium status, et principis absentis vicarius.

Ecce illud concilium quod ita extulerunt nonnulli, quodque imperii cum principe particeps fuisse dicunt, imo principe dignitate superius fuisse. GULIELMUS hujus concilii auctor fuit. Potestate sua se non abdicaverat, et certe numquam abdicasset in favorem concilii privatorum hominum. Quod si partem potestatis alienasset, formam regiminis debilitasset eo tempore, quo efficacia adeo necessaria erat, qualem errorem GULIELMUS princeps consultus et reipublicae gnarus numquam commisisset. Scio equidem quod jam partem auctoritatis alienasset in favorem Ordinum, sed exinde non sequitur quod idem fecerit in favorem concilii; Ordinibus multum concessit et malum inde exstitit, sed malum quo majus effugit; si autem privatis aliquid concessisset, commisisset malum quo nullum aliud evitaret, sed multis novis malis originem daret.

Non oblitus sum edictorum, ab eo inde tempore regis nomine editorum, veluti ad rogationem sive relationem (*ter relatie*) praefecti, copiarum ducis, ejusque consiliariorum; sed negamus huic mutationi institutionem hujus concilii causam dedisse. Quodsi hujus concilii splendor tam magnus fuisset, uti nonnulli contendunt, ipse splendor hujus mutationis

nis causa esse potuisset, sed ex illa mutatione non patet concilii splendor. Simplex hujus mutationis causa fuisse videtur; quod si summus a populo agnoscatur imperans tunc ejus nomen in capite edictorum inveniri oporteat, PHILIPPUS summus imperans agnoscebatur, ergo ejus nomen in capite edictorum adesse debuit.

Neque me fugit argumentum desumtum e decreto quodam Ordinum Hollandiae (34); quod tamen nullius mihi videtur momenti. Primo enim agit de re pecuniaria, cujus administrationem GULIELMUS Ordinibus jam antea concesserat; secundo Ordines anno 1574 usurpaverant omne fere comitum imperium; usurpatio nullum dat jus ita ut tantum ex illo decreto appareat Ordines summum exercuisse imperium, quod tantum factum probat, et e facto nullo modo probatur jus; tertio (quod jam monuimus, sed satis moneri nequit) in imperio monarchico non valet argumentum *ab Ordinibus desumtum* ad *limitatum* principis *imperium*, in rebus ad imperium pertinentibus (35).

Sed audio adversarios qui me vehementer aggrediantur propter ea quae de summi ab Ordinibus facta usurpatione imperii diximus, age, quae dixi pro-

(34) Vid. *Res. v. Holl. ad d. 6. Sept.* 1574. *fol.* 77.

(35) In his saepius dissentimus a SLINGELANDIO (*T.* I. *p.* 89.) KLUITIO (*op. cit. L.* I. *p.* 74. *et* 75.) et WAGENARIO qui suam non dicit sed insinuat opinionem.

probare conabor. Hujus rei indagationem ita dispertimur, ut appareat 1°. quae Ordines egerint quibus GULIELMI jura infringerent, 2°. an iis Ordines revera GULIELMI infregerint jura? 3°. quamnam rationem iniverint ut GULIELMI jura infringerent, et quam ab caussam GULIELMUS jura sua non tuitus sit.

1°. Ipsi sibi praescripserunt coetus dispositionem, in qua statuerunt, 1°. qui Ordines componerent, 2°. quotempore et loco convenirent, 3°. qui Ordinum decreta et voluntatem executioni darent, et 4°. quamnam ordinem sequerentur in vocibus emittendis et rebus peragendis.

WAGENARIUS (36) (et hoc loco non errat) perspicuum esse monet, Ordines ad se summum attrahere voluisse imperium, et civitates inprimis in his plurimum studii consumsisse. Illud inprimis apparet e lite quae tunc temporis inter civitates et municipia rustica septentrionalis hujus comitatus partis exstitit. In altera nempe parte parva oppida in Ordinum coetum admissa erant, et pro rata parte nobilium numerum, qui parvas urbes et locos campestres repraesentabant, minuerant Ordines. In parte septentrionali nunc aeque nobilium numerum minuerant Ordines, nec tamen legatos parvarum civitatum locorumve campestrium admittere volebant. Nobi-

(36) *T. VII. p. 6.*

biles ea de re principem adeunt, qui eos rogat ut praesenti tempore hac de re non agant. Ipse conatur componere litem, sed frustra. Locorum campestrium incolae, qui tributorum bessem conferebant, adeunt principem, qui eorum justa causa motus jubet tres locorum campestrium legatos Ordinibus adscribi. Negant Ordines. Princeps jubet unum saltem adscribi, iterum negant et ei obsistunt Ordines, et principem ARAUSIACUM temporum angustiae nefas illud permittere cogunt (37).

2°. An Ordines iis GULIELMI jura infregerunt? Certe! vidimus Ordines qua potestate semper uti potuerint, vidimus eandem nec mutatam viguisse regiminis formam, concludimus Ordines non nisi injuria majori uti potuisse potestate.

His praemissis dicere non dubito, Ordines nullum habuisse jus praescribendi has dispositiones, quum illud jus majestaticum fuerit, quapropter illud praescriptum jure nullum erat. Animadvertamus hunc in finem, praeter illa quae in introductione commemoravimus, ea quae dixit curia Hollandiae anno 1565. *Dat van allen ouden haercoemen ende loffelicker gewoonte men in deze Provincie van Hollandt gewoenlicke is te beschriven ende convoceren die Eedelen ende Gedeputeerden van den ses groote steden, represen-* *te-*

(37) Vid. WAGENAAR *T.* VII. *p.* 8. *et* 9. Quis hic populi egerit partes, princeps ARAUSIACUS an Ordines?

terende die Staten van Hollandt, van Con. Majesteyts weghe ofte Zyne Majesteyts Gouverneur Generael ofte particulier van herwerts over eenighe propositien den voorsz. Staten voorgehouden te worden, in welcke gevalle die Brieven van wegen Zyne Majesteyt an Stadhouder President ende Raeden coemende ofte Stadhouder ofte President somtyds apart, werd terstond van 's Hoofs wegen bescrivinghe gedaen, met insertie van der Materie, die men den Staten wil voorhouden, ofte indien die Staten eenige materie hebben vereyschende vergaederinghe ende communicatie, 't zy van den thienden penninck, impost, toerustinghe van schepen tot defensie van de harincteelt ofte anders, is de Advocaet van 't Gemeene Landt gewoonelick te coemen an den Stadhouder, ofte in zyn absencie an den President ofte oudste Raed Presiderende, ende hem een billiet te presenteren, inhoudende d'Articlen daer up hy begiert die Staten bescreven te hebben, 't welck alsdan zulcxs van 's Hoffs wegen vuyten naem van Zyne Majesteyt gedaen wordt; Ende dit ten eynde Zyne Majesteyt ofte Zyne Majesteyts Stadshouder ende Raedt altyd mach weten, waerop die Convocatie ende Vergaederinghe van de Staten, zyne onderzaten, geschien, gelyk ook in andere Provincien gedaen ende gepleecht wordt (38).

Ex

(38) Vid. BOEI *Oudh. v. 't Hof v. Holl. T. I. p.* 169. KLUIT *Hist. d'r Holl. Staatsr. T. I. p.* 39. *et* 40.

Ex iis judicetur de jure aut licentia hujus praescripti, ex iis judicetur de iis quae illud continet praescriptum, et certe unusquisque consentiet illud continere regalia, quae populus exercere nequit. Multi de illo praescripto conscribi possent libri, illud autem tantum quaero, quid comitis imperii Ordines GULIELMO reliquerint? Respondendum; Nihil! eum Ordines totum facto et injuria ad se attraxissent. Consecutiones hoc ipso tempore jam horrendae fuerunt: WAGENARIUS ipse dicit: *Terwyl men dus, om meer gezags in de Regeeringe woelde, ondervondt men het ongemak, dat hieruit noodwendig ryzen moest. Men wist, eerlang niet, aan wien men zig moest vervoegen, om de zaaken, eindelyk afgedaan te krygen; omdat men niet wist, waar of in wien de opperste magt, in Holland, geplaatst was* (39). Jure enim erat apud GULIELMUM; facto residebat apud Ordines.

3°. Quibus rationibus usi sunt Ordines ut GULIELMI infringerent jura, et quare non illa tuitus est GULIELMUS?

Ordines majorem quam iis competebat potestatem exercuisse: illam majorem potestatem ad regalia pertinere, quorum exercitium soli GULIELMO competebat: eum illa tantum pro parte vel nulla parte tuitum esse, hasce tres res jam abunde probasse nobis vi-

(39) *T.* VII. *p.* 10.

videmur. Primo igitur adſpectu Ordinum audaciam et GULIELMI ſpeciem inertiae negligentiae et torporis (dico ſpeciem, quoniam hoc judicium evanescit modo conſulamus tempora rerumque rationem habeamus,) miramur.

Diximus GULIELMUM bellum molitum esſe, ut cultum divinum libere exercendi integritatem et ſentiendi libertatem defenderet. In patria multi reformationem ſectabantur, ubi reformati opprimebantur, aut proſcribebantur; ibi GULIELMUS maxime diligebatur, et religioſum bellum gerere incepit. In tota igitur patriae hiſtoria, religio erat GULIELMI finis qui eum movebat, illaque erat quam petebat; religio igitur noſtra erit ſtatio, unde omnia quae GULIELMI ſpectant indolem, dijudicabimus.

Ut propoſitum attingeret pecunia opus erat; ut pecuniae ſummam necesſariam acquireret incolis, tributa imponenda erant; ut tributa incolis imponerentur, indigebat Ordinum conſenſu, ita ut ab Ordinibus fortuna nobilium GULIELMI conatuum penderet. Illi ſemper comitum inviderunt juribus, (uti deinceps venerationi qua populus principes ARAUSIACOS colebat,) optimeque tunc temporis noverunt ſuam auctoritatem, et cum GULIELMUM virum conſtantem et propoſiti tenacem haberent, ante multum ab eo expoſtulare potuerunt, quam ille derelinqueret propoſitum. Cum hanc ob cauſam eum deprimere et ad ſe ejus poteſtatem adtrahere poſ-

ſent,

ſent, modice tantum conceſſerunt tributa, conceſſa tantum pro parte contribuerunt et GULIELMUM in ſtatu incerto tenuerunt. Ille timens ut attingeret propoſitum, primum concedendo eos mitiores et faciliores reddere conatus est, deinde illi ejus jura exercuerunt, tacere hoc modo coactus est, neque ea vindicare potuit, cum Ordines ei tributa denegasſent. Ita omnia GULIELMI jura uſurpaverunt Ordines, et patriam ad miſerrimam illam perduxerunt conditionem, quam WAGENARIUS verbis memoratis deſcripſit.

Huic auctoritati Ordinum abuſu conſtitutae tribuo eorum ſuperbiam in praeſcribenda coetus diſpoſitione, cum regalibus quae continet; huic tribuo decreta, quibus GULIELMUM laeſerunt (40); huic tribuo tyrannidem quam civitates partis ſeptentrionalis hujus comitatus erga minores civitates et municipia rustica exercuerunt.

Redeamus ad GULIELMUM, qui nunc eligere debuit, utrum omnem poteſtatem amittere, an propoſitum non attingere vellet, et quis dubitet quid fecerit? Omnia jam amiſerat, vitam in manibus eorum eſſe, qui ſuam hanc ob cauſam perdere vellet, ſciebat, ecce! jura amittit, illa violari ſinit, injuriam non vindicat, ſatis contentus ſi modo liberum Dei cultum et ſentiendi libertatem defendere posſit!

Jura

(40) Vid. *Reſ. v. Holl. Aug. et Sept.* 1574.

Jura quae in controverſiam vocabantur non exercebat, omnes lites effugiebat, poteſtatem quae in disceptationem ceciderat non tangebat, quae cum Ordines illa pro *derelictis* haberent, injuria ſibi asſumſerunt.

O Dive GULIELME! poſteritas tui memor tandem tua erga nos agnoſcat merita, et ad coelum extollat beneficia quae ei tribuisti, quaeque mala pasſus es, ut, tuendo liberum Dei cultum ſentiendique libertatem, nobis praeberes facultatem Deum O. M. majori pietate colendi atque adorandi!

Summa igitur concluſio hujus capitis, eo redit:

I.

GULIELMUS conventus Ordinum habiti Dordraci ad d. 15. Julii 1572. auctor fuisſe videtur.

II.

Ante Ordinum conventum, GULIELMUS in urbibus ac pagis hollandicis ab hostium vi liberatis, plenum et ſummum exercuit imperium.

III.

Quo conſilio Hollandia bellum contra PHILIPPUM gerebat, ſponte inde GULIELMI jus ſummum exercendi imperium manabat.

IV.

Ordines in eorum conventu GULIELMI jus ſummum exercendi imperium in comitatu Hollandiae agnoverunt.

V.

V.

Hanc Ordinum agnitionem GULIELMUS quaesivisse videtur, ut jura sua ab iis rata habita quoad effectum eo validiora essent.

V I.

GULIELMUS gaudebat jure supremi capitis Belgii, quod jus exercere non potuit, intercedente belgicorum nobilium invidia.

V I I.

GULIELMUS post Ordinum conventum in urbibus ac pagis hollandicis liberatis plenum et summum exercuit imperium.

V I I I.

GULIELMUS ut Hollandiae Ordines in tributis concedendis faciliores redderet, se obligavit ad nihil sine eorum consilio agendum, qua obligatione imperium suum non minuit.

I X.

Concilii, quod apparuit anno 1573, auctor fuit GULIELMUS; hujus institutionis causa fuit, ut imperii frena, cum GULIELMUS abesset, teneret, et cum adesset, eum adjuvaret suadendo: concilium illud fuit, praesente principe, *Concilium-status*, absente eodem, *Vicarius*.

X.

Ordines Hollandiae modo illegitimo ac nefario GULIELMI jus summi exercendi imperii plane infregerunt

X I.

GULIELMUS jura ſua non tuitus eſt.

X I I.

Quum GULIELMUS aut jus ſuum ſummi exercendi imperii tueri aut conſilia ſua de tuenda ſacrorum libertate asſequi non posſet, prius violari pasſus eſt, quo poſterius eo fortius vindicaret.

CAPUT SECUNDUM.

DE JURE GULIELMI I. QUOAD SUMMUM IMPERIUM IN COMITATU HOLLANDIAE, AB IMPERIO NOMINE POPULI IN GULIELMUM DELATO, USQUE AD FOEDUS UNIONIS INTER HOLLANDIAM ET ZEELANDIAM, ID EST AB ANNO 1574—1576.

Vidimus capite superiori, anno 1574 fere praeterlapso imperium summum, re et facto penes Ordines fuisse, etiamsi jure exercere illud debuisset GULIELMUS; quippe qui *praefectus regius* censebatur, qui absentis comitis vices sustinere debebat; et cum summum imperium semper penes comitem fuisset, luce clarius apparet, exercendi hujusce imperii facultatem jure fuisse penes GULIELMUM. Et hujus quidem juris nemo non in patria gnarus fuisse videtur. Sed cum jam neminem lateret Ordines exercere imperium, vulgo ambigebatur, si quid pe-

petendum esſet a ſummo imperante, Ordines ne adeundi esſent, an GULIELMUS? Atque haec causſa est (1) quapropter nihil tum agebatur, increscente indies magis magisque omnium rerum perturbatione et confuſione.

Ordines autem haec omnia uſurpatione invaſisſe ſibique arrogasſe liquido apparet, quae tamen GULIELMO unice competerent, quando quidem nullo argumento probabile ſit GULIELMUM ſe Ordinibus ut gratificaretur juribus ſuis abdicasſe; atque haec abdicatio una ratio fuisſet unusque legibus conſentiens modus, quo Ordines hanc poteſtatem rite acquirere potuisſent. Quocirca cum Ordines quam exercebant potestatem, eam modo non legitimo occupasſent, nihil aliud ſuperest niſi ut fateamur fuisſe uſurpatam. Et quamquam quod dicimus luce clarius apparet, tamen testimonia excitabo quae ſi qua ſuper hoc

(1) Unum afferre libet exemplum. a. d. 11. *Sept.* 1574. duo viri Ordines adierunt quorum unus perpetrati criminis poenam ſibi condonatam iri peteret, alter veniam rogabat. Jus remisſionis, uti jus gratiae eorum numero jurium cenſetur quae vocantur *majestatica*, quae ſic aperte arrogare ſibi necdum volebant Ordines, ideoque reſponſum est ab illis: „ *Fiat* „ *ſermo principi.*" Si quis in iis quae Ordines agebant ita, conjectura potuerit aberrare, certe magna esſe debuit in hoc comitatu jurium confuſio. Ordinum autem uſurpationem indies magis crevisſe illud exemplo ſit: cum *a. d.* 21. *Octob.* 1574. iterum aliquis eos adiisſet veniam rogans, ſuâ ipſi auctoritate eam largiti ſunt, et principem, commeatum dare homini, cui veniam concesſisſent, Ordines ipſi jusſerunt. vid. *Reſ. van Holl.* Anno 1574. *fol.* 88. *et* 151.

hoc loco controverſia moveri posſit, eam penitus dirimant ac tollant. Ac primo loco epiſtolam curiae Hollandiae a. d. 30 Januarii 1574, in qua ſcriptum est; ſe re expertos doceri, urbes et vicos vi et clam limites jurisdictionis conari proferre et vicinorum jura invadere, ſui tantum ſtudioſos, publicae ſalutis parum curioſos, et id unice agentes ut facto obtineant quae ſuetis juſtitiae rationibus recta via et ordine obtinere non potuerant (2). Alterum nobis testimonium praebebit querela nobilium qua dicunt ſe tamquam protectores et defenſores locorum rusticanorum vidisſe malitioſum urbium propoſitum quo loca ruſtica libertatibus ſuis ac privilegiis privarent, posthabito cum jure omni tum aequitatis ratione, ut campestres pagos mercatura libertatibus et conſuetudine introductis juribus ſpoliarent et exuerent, idque propoſitum jam nonnullis locis effectui dedisſent, quapropter ſe has querelas principi exponere velle, ſperantes fore ut is jura haec ipſis reſtitueret (3).

Mo-

(2) Vid. 2de *Misſive Boek fol.* 67. KLUITIUS hanc edidit epistolam in *Hiſt. der Holl. Staatsr. Tom.* I. *p.* 113. annum in apographo non bene annotatum invenit, dubitatque utrum ſit 1573 an 1574. Quod ſi quis tamen ante oculos habeat istorum temporum rationes, mecum facile conſentiet vero ſimillimum esſe, pertinere illam ad annum 1574. Scrupulus fortasſe ſic eximetur, ſi in memoriam revocemus menſem januarii anni 1574. a curia ſecundum veterem curiae ſtylum vocari potuisſe menſem januarii anni 1573.

(3) Vid. BOR. *L.* VII. *fol.* 70. est menſis Septembris anni 1574.

Monuit eos princeps haec potius pati, quam intestinis contra urbes contentionibus operam saluti publicae unice tribuendam perdere, quandoquidem in tam ancipiti tempore pagi rustici injuriarum reparationem, quam petiissent, obtinere vix possent (4).

Jam quisque secum animo reputet ac cogitatione miserrimum statum quo patria tum versabatur. Lugduno Batavo obsidione clauso, Haga Comitum capta, pago Alphensi derelicto, locis Hollandiae ruri sitis undique aquarum vi submersis, principe vix e morbo, quem mortiferum sibi fore haud temere suspicabatur, adeo ut jam fere ab omnibus jaceret desertus, convalescente. Romae quoties cunque maximum extrinsecus imminebat periculum, continuo discordiae faces jacebant exstinctae, at in patria longe secus erat. Ambitio et invidia ita crescebant maxime, uti pericula ab hoste instabant formidolosissime. Suum quisque nunc unice commodum curabat, vicinorum salutem negligebat, auxilium negabatur, pecuniam ad liberandam obsidione urbem tamquam ab invitis et certe ab oscitantibus et tardiuscule, sane impetrabatur (5).

Gu-

(4) *Ad. d.* 31. Octobr. 1574. Nobilium jura in rerum criminalium cognitione quodammodo instauravit GULIELMUS. Vid. *Res. van Holl.* 1. Novemb. 1574. *fol.* 182.

(5) Auxilium quod Lugdunenses ad liberandam obsidione urbem implorabant aegre esse impetratum, manifestum est e decreto Ordinum Hollandiae d. 30. Julii 1574. et WAGENARIO *T.* 6.

Gulielmus ſibi numquam privatum proponebat commodum et cum invidiam incertumque reipublicae ſtatum, et rerum maximarum perturbationem e principiis ariſtocratiae, (6) quae neminem ſuperiorem patitur, ſenſim ſenſimque ſerpere videret, cedere iis maluit, dum modo concordia inſtaurari bellumque ſpe boni eventus quamvis tenui, geri deinceps posſet et Deum colendi ratio integra civibus ſervaretur ſentiendique libertas maneret illibata; fuitque haec ſumma quo ſpectabat oratio a Principe habita ad Ordines, quam niſi qui ferreus ſit ad carisſimum patriae nomen, nemo ſine lacrymis leget, quam integram hic transſcriptam velim; ſed brevitati conſulendum est, quare quamdam quaſi epitomen ejus nunc tantum dare poterimus (7).

Sic autem orditur: nihil magis necesſarium esſe quam

6. *p.* 485. qui planisſime tradit: *dat de Prins geen ander middel ziende om de ſtad te ontzetten beſloot en ter Staatsvergadering doordrong. etc.*

(6) Eleganter J. F. BILHON *Principes d'administration des anciens peuples* „ *L'aristocratie est fondée ſur l'orgueil, l'ambition le deſir de dominer.*" Conf. etiam Amiscisſimus J. RAU in Disſertat. inaug. *p.* 78. „ Maximum illud vi„ tium latet in Aristocratia, quod plerumque in tali imperii „ forma optimates diverſis factionibus dividuntur et agitantur; quae „ ex invidia et cupiditate divitiarum et *potestatis* originem du„ cunt, et quibus non ſemel privatum commodum publicae ſa„ luti praelatum fuit et populi cuasſa neglecta."

(7) Exſtat in *Reſ. van Holl.* 1. Nov. 1574. edidit eam quoque KLUITIUS. *l. l. p.* 401.

quam ut de rebus civilibus deque bello agatur, nihil adhuc quidem de hisce tanti momenti rebus actum ſtatutumve esſe, quod quidem operae praetium fuerit; et magnam inde ortam esſe rerum confuſionem, quae efficeret ut rerum gerendarum opportuno ſaepe tempore elapſo, jam boni quicquam praestari amplius haud posſent, ideoque optimum ſibi viſum esſe, ut palam cum Ordinibus ageret iisque causſas confuſionis exponeret, quas ad *tria* veluti *capita* revocari posſe existimabat.

1°. Populo perſuaſum eumque in hanc inductum esſe opinionem, quaecunque imperarentur tributa, ea non rei publicae causſa, ſed privatae utilitatis ergo principis, hujusque augendi patrimonii gratia erogari; e qua quidem perverſa praejudicataque opinione omnes oriebantur difficultates, quibus rerum adminiſtratio cum domi tum militiae premebatur, atque hanc causſam esſe cur civitates abhorrebant ab admittendis intra muros copiis praeſidiisque.

2°. Si quid apud Ordines decretum tandem de concedendis tributis perſcriptum promulgatumque esſet, id tamen plerumque fruſtra esſe ſolere eo quod exſecutioni non rite dabatur. Hinc fieri, ut qui bene animati esſent, ſolverent tributa; qui contra, impune detrectarent; unde innumeras exiſtere contentiones, neque inter cives ſolum aut homines privatos, ſed inter oppida et civitates, et hanc capitalem

esſe,

esſe, quae rempublicam praecipua et quaſi inteſtina labe afficeret, pestem.

3°. Aerarium perperam et praepostere administrari. Ordines, pecuniae ſummam ad militum ſtipendia ſolvenda destinatam, in alium fere uſum convertere; hinc omnem perire disciplinam militarem; hinc fieri ut milites, vel inviti, civibus oneri esſent, et cives vicisſim de militibus quererentur, ac res tandem publica funditus negligeretur.

Quod primo incommodo afferri posſet remedium, praecipuum principi illud videbatur, ut Ordines univerſam totamque reipublicae administrationem ſusciperent, quippe hoc modo ſuspicio tandem tolli posſet quaſi res publica privato commodo ſerviret principis et quum Ordines, quae nunc a GULIELMO principe exerceri credebatur auctoritas ac potestas, eam jam ipſi occupaturi esſent, facilius futurum, ut ceteris etiam incommodis afferri remedium posſet. Se quidem paratum esſe Ordinum auctoritati cedere, et tamquam ab Ordinibus inſtituti ministri dignitate contentum fore, ſeque pro ſalute publica et hujus provinciae incolumitate mortem oppetere velle illudque vitae, quam profundere non recuſaret, optimum quod expeteret, praetium ſibi videri ſi ſervasſet patriam.

En quaerelas immo accuſationes, quae profecto haud temere effuſae videri debent, ſiquidem non is erat GULIELMUS, qui vanis aut fictis indulgeret;

nec fane difficile est iftorum temporum hiftoriam paullo diligentius perfcrutanti harum veritatem querelarum finceram exploratamque agnoscere; deinde fi cum veritate haud convenisfent, procul dubio aliquis exftiturus fuisfet, qui principi earum temeritatem objecisfet, et tamen nemo unus inventus est qui contra principis incorrupta et mente et voce habitam orationem vel hiscere in animum induxerit, unumve verbum ei objecerit; five ut contra diceret principi, five ut Ordinum negligentiam excufando vel cavillando elevaret, nedum defenderet; quod fane mirum videri debet, fi animadvertimus duo postrema capita directe ad Ordines fpectare, qui et eorum, quae primo capite continentur, auctores fuisfe videntur (8).

In decretis Ordinum Hollandiae haec GULIELMI oratio invenitur ad 1. *Nov.* 1574, habita tamen videtur ad *diem* 20 *Octobris* (9).

Ordinibus maximam perturbationem injecit haec principis oratio; dictu vero difficile est quae de hac fuerit re eorum opinio et quibus deliberationibus occafionem praebuerit. In decretis Ordinum Hollandiae, quae huic rei lucem affundere debuisfent,

(8) Populus femper ftetit ab ARAUSIACORUM principum partibus; unde igitur perverfa ifta opinio de GULIELMO I? Certe GULIELMI amici errori immo calumniae atrocisfimae causfam non dederunt.

(9) Vid. *Ref. v. Holl.* 20, 23 et 25. *Oct.* 1574.

ſent, equidem nihil invenire potui, ſed tantum ad diem 1. *Nov.* Ordinum reſponſum, quod tamen tantum a. d. 12 datum fuit. Illud igitur certo ſtatuere licet, post tres dierum hebdomades Ordines demum reſpondisſe. Quaenam hujus procraſtinationis fuerit causſa, pariter incertum est, cum Ordines non niſi perpauca de iſtorum dierum actis, typis mandari voluisſe videantur. Illud tamen inter eos convenisſe vero ſimile est, perſuaſisſimum ipſis fuisſe, principe careri non posſe, eique idcirco ſatisfaciendum; at tunc ſtatim dilitigasſe inter ſe quantum juris principi attribuerent quantnm ſibi retinerent a veritate abhorrere non videtur. Sed cum de eo nihil certum ſtatuere posſimus, potius tranſeamus ad Ordinum reſponſum deque eo nunc breviter exponamus (10).

Ordines, audita oratione principis et perſpectis incommodis quorum ſeriem magnitudinemque demonſtravisſet, ſimul propoſitis horum remediis malorum, ſupplices ei reſponderunt: quod attinet ad caput primum, ipſis extra omnem dnbitationis aleam poſitum videri, durante hoc discidio regis ab inquiſitione hispanica decepti, et Ordinum vaſallorum incolarum et posſesſorum comitatus Hollandiae, perutile esſe ad custodiam publicae tran-

qui-

(10) Invenitur in *Reſ. v. Holl.* 1. *Nov.* 1574. Illud etiam edidit KLUITIUS *l. c. p.* 405.

quillitatis et ſalutis et ad conſervationem privilegiorum et libertatum, et praeſertim ad incolumitatem religionis christianae aliquis ut ſumma auctoritate praeditus rebus cum bellicis tum civilibus, et administrationi univerſae praeficiatur qui ſummum imperium et teneat idem et exerceat. Jam vero neminem neque inveniri neque optari posſe, qui huic tanto muneri plenius meliusve ſatisfacturus ſit GUILIELMO! quapropter eum ſupplices obſecrati ſunt, velit in moderanda republica una cum collegio, quod vocabatur *concilium ſtatus*, perſeverare et ad utilitatem et prosperitatem comitatus administrationem, ſummum imperium et gubernationem, nomine ſeu titulo Rectoris aut Vicarii (*Gouverneur of Regent*) e benevola Ordinum, vaſallorum, incolarum et posſesſorum in comitatu Hollandiae collatione accipere. In hunc finem deferunt ei abſolutam potestatem et ſummum imperium procurandi omnia reipublicae negotia nullis prorſus exceptis; (11) ita ut in rebus bellicis habeat abſolutam poteſtatem et auctoritatem, et e ſuo ipſe arbitrio bellum inferre vel il-

(11) Verba ſunt: *De ſuperintendentie overigheydt en Regeringe onder den naem van Gouverneur of Regent uit goedtwillige collatie van de Staten vaſallen, gemeene Ingeſetenen en geërſden des Graeffelyckheydts van Hollandt aen te vaerden, confererende ſyluiden tot dien fine aen ſyn Excellencie abſolute macht, authoriteyt ende ſouverain bevel, ter directie van alle des gemeene lands ſaken, geene uytgeſondert.*

illatum repellere posſit; omnes ipſi naves tradantur quibus, prout reipublicae utilisſimum fore existimaret, utatur. In conſervationem navium ei dantur privilegia nautica, quae vulgo vocantur *licenta*, cum omnibus exuviis et ſpoliis quibus percipiendis princeps et Ordines certos praeficient homines legitima poteſtate inſtructos.

Res politicas ita regat ut audita adhibitaque ſententia *concilii ſtatus*, ipſe pro ut ſibi optimum videatur, edicat.

Ad nova imponenda tributa, vel mutationem introducendam in regimine, convocare Ordines debeat. Omnes illi, qui exercitui praeſunt, conſiliarii provinciales et quibus aerarii adminiſtratio commisſa est, nominentur conſilio Ordinum; conſiliarii quotannis e concilio moveri posſint. Princeps praeditus erit potestate, Ordinum nomine colligendi quindecim millia florenorum, quorum besſem ſolverent Ordines Hollandiae, trientem Zeelandiae Ordines.

Quod attinet ad alterum gravaminum caput: Ordines necesſarium ſibi videri dixerunt, ut omnes qui magistratum gererent, omnes armati cives in municipiis, (*ſchuttereijen*) porro collegia (*gilden*) omnia et corpora ſeu univerſitates (*gemeenten*) promittant fidemque ſuam ſacramento adſtringant, quaecumque a principe una cum collegio conſiliariorum rem publicam ſpectantia jusſa ſint, nulla interpoſita mora, deprecatione aut procrastinatione

 il-

illis se obtemperaturos eaque expedituros esse et perfecturos, item precarias, tributa, contributiones, subventiones ab Ordinibus concesfa intra tempus praestitutum soluturos. Quae si negligant, principem et consiliarios usuros potestate cogendi tergiversantes omnes sive corpora seu universitates civitatum, sive collegia sive municipes armatos sive alios quoscumque, eosque constringendi modis omnibus exsecutionis qui e republica esse videbantur: sive in carcerem mittendis magistratibus civibus incolisve qui officium deserunt, sive injectione manus in ipsos aut in bona eorum, vel mulctae dictione aut qualibet alia ratione quae revocandis ad officium negligentibus maxime idonea videatur. Pariter fidem suam obstringent magistratus, cives armati, collegia et corpora ad exsequenda jussa in rebelles, ad ferendum principi et consiliariis auxilium et praesidium, illis rationibus quae maxime prodesse censebunt. Civitates Dordracena, Delphensis, Goudana, Roterodamensis et Briella promittunt se 23,600. in unum mensem intra octiduum contributuros, ut militibus stipendia exsolvantur, singulae civitates intra dimidiatum mensem rationes reddant et si qua ab iis adhuc reliqua debeantur, ea dinumerari curent. Quum domania commeatus aliique reditus gravati essent, illi quibus aerarii adminisstratio erat commissa illos lustrarent et ita solverent partem extraordinariam.

Tan-

Tandem ut ſubveniretur incommodo de quo agit caput tertium, principi facultas fieret ſtatuendi (*dispo-nendi*) de domaniis reditibusque comitatus, de tributis concesſis, ſubventionibus commeatibusque, audita ſententia concilii; cum Ordines civitates aliique de iis nihil ſubducere posſent, praeter tributum de quo ſtatuendi omnis penes Ordines potestas erit, quarum expenſi et accepti tabulas quaeſtor generalis ſingulis dimidiatis menſibus exhibebit apud concilium cui aerarii cura et adminiſtratio incumbit; ita tamen ut princeps urgente necesſitate de ista pecunia posſit ſtatuere.

Et ad haec quidem omnia ut exſequantur, urbium magiſtratus, collegia, cives armati corporaque principi ſeſe obedituros jurarent, fidemque ſuam adſtringerent ad illa facienda quae vaſalli honesti, incolae et posſesſores comitatus Hollandiae rectori et vicario debent, quorum in fidem inſtrumentum traderetur ſubſcriptum ſignatumque, quod princeps in ſingulis civitatibus confici juberet, vicisſim obligatus dicto munere ſeu titulo ad omnia illa ſummo cum ſtudio et diligentia obſervanda, eorum libertates et privilegia tuenda, ſalutem publicam tranquillitatem et diſciplinam in comitatu Hollandiae conſtabiliendam, inprimis vero ad conſervandam religionis christianae integritatem; verbo: ad omnia agenda quae rector vel vicarius vaſallis, incolis et posſesſoribus comitatus Hollandiae, praeſtare debet.

L 2 Quum

Quum hoc decretum principi in Ordinum coetu esset praelectum, statim hic declaravit summam 23,600 florenorum in menses singulos non sufficere ut satisfaceret militibus, quandoquidem plurimi inde a sex mensibus stipendium accepissent nullum, quapropter eos rogatos voluit ut hac de re ulterius deliberent eique rei consulant; Ordines autem ita statuunt, ut principem vicissim rogent, scripto ut illis exponat rationes auxiliaque sive remedia quae sibi necessaria viderentur, cui ille petitioni non recusavit obsecundare (12). Postridie (13 *Novemb.*) tradidit quasdam considerationes (13) et declaravit: ut summum acciperet imperium, opus esse 45,000 florenis in singulos menses, quae ipsi septimo quoque die solvenda essent: caput tertium se velle mutare: et quartum non posse admittere (14). Cum Ordines *ad d.* 22. *Nov.* hac de re nondum decrevissent, princeps, intercessore consiliario P. BUIS eos rogavit, ut velint sine mora de summo imperio certam ferre sententiam (15). Eodem die multas difficultates moverunt Ordines (16), et sequenti die de-

(12) Vid. *Res. v. Holl.* 12. Novbr. 1574. *fol.* 192.

(13) Vid. *Res. v. Holl.* 13. Novbr. 1574. *fol.* 195. et KLUIT. *l. l. p.* 410.

(14) Uti mihi videtur pactum signatum et subscriptum. KLUITIUS recte animadvertit timendum fuisse ne illud hostes nimis exacerbaret. Vid. *Hist. der Holl. Staatsreg. T.* I. *p.* 100. *n.* 42. Quae nostra de illa traditione sit sententia infra dicemus.

(15) Vid. *Res. v. Holl.* 22. Novbr. 1574. *fol.* 197.

(16) Vid. *Res. v. Holl.* 22. Novbr. 1574. *fol.* 198.

decreverunt ut unaquaeque civitas mandatum de principis oratione seu propositione scripto consignatum traderet (17). Denique *ad diem* 25 *Nov.* principis orationi sese obsecuturos praecise negaverunt et tantum per quatuor menses 30,000 florenorum concesserunt; qnam sententiam equites et Advocatus publicus (*'s Lands Advokaat*) principi referrent, ut sciretur utrum haec placeret principi sententia, an ab eo rejiceretur (18). Princeps deputatis declarat sententiam Ordinum sibi minime placere; queritur de Ordinum tarditate, levitate et ineptiis in exsequendis iis quae solenniter promiserant, traditione nempe et consensu eorum quae singulis mensibus solvere debebant, et 120,000 florenorum, unde magnum respublica capiebat detrimentum, incolae in praesentissimo versabantur periculo, nec ipse ab ignominia posse vacuus manere videbatur. Palam profitebatur nolle se summum harum regionum capessere imperium, at consultius judicare, si Ordines promissa exsequi vel nollent vel nequirent, neque rationes circumspicere possent, quibus majorem quam 30,000 florenorum summam colligerent, salvo honore se derelicturum comitatum, omniaque Ordinibus concessurum, qui minimis sum-

(17) Vid. *Res. v. Holl.* 23. Novbr. 1574. *fol.* 199. et KLUIT. *l. c.*

(18) Vid. *Res. v. Holl.* 25. Novbr. 1574. *fol.* 207. KLUIT. *l. l.*

fumtibus comitatum defenderent, quique ita liberarentur ab expenfis annuorum, quae ei dabantur et alimentis cuftodum corporis; fe enim non pasfurum famam fuam et existimationem diminutam iri, quod certo futurum erat, fi fuo ipfius fub regimine eveniret, ut hae regiones ab hoftibus fubigerentur, quod quamtumvis nulla fua culpa accideret, tamen imperitum vulgus ipfi vitio vertere posfet. Deputati illud refponfum principis eodem die retulerunt ad Ordines (19).

Difficile fit ad enarrandum, quantus terror et quam gravis metus mentem fubierit Ordinum quum illud principis audivisfent refponfum, et quae inde trepidatio in eorum coetu fuerit fuborta. Per decem dies antea decernere nihil potuerunt, dein rogati ut fine mora decernerent, post tertium demum diem negant fe posfe, quae rogata esfent, concedere. Nunc vero auditis quae animo GULIELMUS conftituerat, quafi attoniti e vestigio decernunt, habita ratione praecipitis reipublicae ftatus ad interitum jamjam vere vergentis, et quandoquidem brevi tempore finis adfuturus videbatur (20), rogatam 45,000 florenorum fummam ad quatuor menfium anni 1575 temporis fpatium concedere (21).

In

(19) Vid. *Ref. v. Holl. l. c.* et KLUIT. *l. c. p.* 403.

(20) Decretum cujus rationes plane fibi ipfae repugnant a perterritis et pavidis festinanter confectum videtur.

(21) Vid. *Ref. v. Holl.* 25. Novbr. 1574. *fol.* 208. KLUIT. *l. c. p.* 414.

In decretis Hollandiae hac de re nihil amplius inveni, nisi quod principi tradiderint descriptionem seu catalogum tributorum ad colligendam summam 45,000 florenorum ad impensas uniuscujusque mensis ferendas necessariam (22). Unde haec nobis conclusa ratio est: illud negotium tunc confectum et peractum fuisse decretumque latum; et cum nihil inveniamus de subscribendo et per jusjurandum confirmando signandoque instrumento, recte videmur statuere, Ordines in omnibus GULIELMI voluntati satisfecisse, ita ut decretum latum ad *d.* 12 *Nov.* mutatis iis quas princeps voluisset partibus ejus ad *d.* 13 *Nov.*, sit forma regiminis tum temporis constituta.

Jam vero si oculos convertamus ad maximam illam quae nobis innotuit rerum confusionem, cum ignorarent cives ubi resideret summa imperii, GULIELMUS jamjam in eo erat, ut omnia quae turbata essent in ordinem redigeret et imperium transferret in Ordines, quibus ita modo legitimo traderet quae illegitimo sane modo jam possidebant. Cessante vero caussa cessat effectus, sublata differentia seu potius repugnantia jus inter et factum, pariter quaestio ubi resideret imperium, caussa confusionis, cessaret.

GULIELMUS illam duplicem viam proposuerat Ordinibus, nimirum aut tribuerent quae postulabat et

ejus

(22) Vid. *Res. v. Holl.* 10. Decbr. 1574. *fol.* 239.

ejus imperia exſequerentur, aut PHILIPPO ſubesſent et duram ferrent hiſpanicae inquiſitionis legem. Ordines nunc quidem GULIELMO quae rogasſet concedebant. At verbis blandis ac levibus GULIELMUS acquiescere haud poterat. Princeps ſubditis ludibrio esſe numquam debet; ſemel jam eum auctoritate ſpoliaverant; jam, ubi nonnulla recuperasſet, ſimul ſibi de futuro esſe cautum voluit: id quod fieri non potuit niſi iis adimerentur opportunitates viaeque quibus uſi fuerant ad principem necesſaria auctoritate ſpoliandum, quod obtinebat certam pecuniae ſummam ad belli ſumtus necesſariam ſibi ſtipulando, quippe qua ſibi opus ad ipſum belli finem, religionis libertatem, obtinendam.

Quae GULIELMUM movebat ratio, ut haec poſtularet, eadem Ordines movebat ut postulata negarent. Sed GULIELMUS recedere noluit ab iis quae postulaverat, quapropter cum illi denegasſent, abire paratus erat. Jam igitur nihil aliud ſupererat Ordinibus, niſi, ut aut principi poſtulata concederent, aut perirent, ideoque concesſerunt.

Quaeſitum est utrum GULIELMI dictum velle ſe derelinquere patriam, tanquam e vera animi ſententia proditum, existimari debeat, an tantum ad terrorem Ordinibus injiciendum iis ſic fuerit minitatus, ut eos ſibi redderet dicto magis audientes et obſequentiores? Plurimi ſcriptores, quos inter KLUITIUM (23) inve-

(23) Opere ſaepius laudato *L.* I. *p.* 102. *ſeqq.*

veniri doleo, GULIELMUM tantum minas jactare voluisse dictitant, quorum mihi a vero aliena esse videtur sententia; GULIELMUS enim non is erat qui aliud ore gerere aliud corde premere solitus esset; quoniam igitur hoc sibi propositum stare dixit, idcirco revera ex animi eum sententia locutum fuisse credam, donec mihi probatum erit eum, quae animo constituerat, minis, dolo ac mendaciis adtingere voluisse. KLUITIUS, principem patriam derelicturum fuisse negat, nisi summa urgente necessitate. Sed nonne urgens haec aderat necessitas eo tempore cum Ordines in unum locum convenire congregarique ipsi non poterant? Cum omnis commeandi libertas ex Hollandia septentrionali in meridionalem interclusa esset ita ut duo separatim diversis locis haberentur Ordinum coetus? Cum magna Hollandiae pars vix ex aquis caput extolleret? Cum ipse GULIELMUS bona sua in utilitatem patriae plane exhausisset et projecisset? Cum spes auxilii nulla esset? Cum intestina discordia et confusio eo usque pervenisset ut nisi adhibita a GULIELMO ratione vinci non posset? ut mihi igitur videtur, id quod KLUITIUS fatetur, ejus vel maxime infringat sententiam.

Aliud etiam argumentum meam probat sententiam; qui minas tantum jactat, ostendit latentem animo abditam sententiam, et de industria celatum esse quo ad agendum impellitur; sed GULIELMI

M co-

cogitatum neque occultum nec celatum fuit; cum enim Ordines per plurimos dies, quid responderent cogitasſent, ipſe ſemper ſtatim reſpondit (24), et ita probavit ſua cogitata ab omnibus cognoſci et ponderari poſſe, atque illa quae dixit non tantum minas continere, ſed ejus firmum certumque eſſe propoſitum.

Et haec quidem ſufficiant de cauſſis et hiſtoria ipſa horum decretorum; quibus finem imponam juridica indagatione quaeſtionum quae ſequuntur:

1°. Ordinibusne jus fuerit illa ferendi decreta: ſi non fuerit, an inſit iis aliqua vis et auctoritas?

2°. Quamnam illis GULIELMUS acquiſiverit poteſtatem?

3°. An illis ceſſaverit vinculum PHILIPPUM comitem inter et GULIELMUM comitis vicarium ſeu praefectum? ſin minus, quomodo componi illud poſſit cum illa poteſtate quam nuper nactus erat?

1°. Utrum Ordinibus jus fuerit illa ferendi decreta?

Ad hanc quidem quaeſtionem negando reſpondemus; quoniam de re nulla ſtatuere licet, niſi quae ſit in dominio ſtatuentis: illud decretum ſpectabat formam regiminis et ſummum imperium, in quod Ordines nullum habebant jus niſi quod injuste poſſiderent, quippe quorum poſſeſſio nondum ſancita erat

(24) Vid. e. gr. *Ref. v. Holl.* 12 et 25. *Nov.* 1574.

erat per praescriptionem; ita ut Ordines cum de iis decreta ferrent GULIELMI jura infringerent. Per se spectata igitur Ordinum illa decreta nullius sunt momenti. Iisne tamen insit aliqua vis atque auctoritas quaeritur. Per se ac suapte natura, (in abstracto) quod in jure nullum est, id jure nullam vim nullamve auctoritatem habere potest; sed videamus jam illa *in concreto* ut vulgo vocant, id est habita ratione temporum locorum et personarum, et sic sane res longe aliter sese habebit. Quod enim jure nullum est, id ratum tamen haberi potest, et e post facto erit legitimum; sic v. gr. si filius sine consensu patris ducit uxorem, tunc nuptiae jure nullae erunt, sed si pater postea consensum dederit et filium, qui patri sese obedientem praebuerit, in gratiam receperit, nuptiae inde ab initio censebuntur legitimae, non tamen quoniam per se ac revera fuerint legitimae, sed ob consensum subsequentem vulgo *ratihabitionem* patris. Ita eadem plane ratione sese res habet quod attinet ad illa decreta; ab initio non valebant quoniam juribus officiebant aliorum, sed ab eo inde tempore quo GULIELMUS, cui illa competebant jura, decreta ista agnovisset, tacite ea rata habuisse existimandus est, et per illam *ratihabitionem* valuerunt; GULIELMUS autem illa decreta et ipse agnovit cum conditiones iis adjiceret ac promitteret se, si Ordines illis satisfacerent, pariter satisfacturum

rum obligationibus, quas continebant erga ipſos, et ita quidem rata habuisſe haec decreta credendus est. Cum GULIELMUS igitur non admitteret caput quartum, illud non negavit propterea quod ſe obligare nollet, ſed tantum quod ſe modo ſolenni obligare nollet.

Quod ſi bene perpenderimus quae egit GULIELMUS, recte Cl. KLUITIUS animadvertisſe videtur, ejusmodi pactum a principe fuisſe expetitum. Periculo quidem non vacabat, regere civitatem vi potestatis a populo acceptae, cum PHILIPPUS nondum abjuratus esſet neque abjurare eum vellent Ordines; ſed jam tertius erat annus cum adverſus Hispanos arma capesſiverant, et a veritate alienum non videtur, verecundiam qua populus erga PHILLIPPUM comitem tenebatur imminutam fuisſe, ita ut prudentius fortasſe fuerit, alio titulo principem imperare et reipublicae clavum tenere, quo populum magis continere posſet.

2°. Veniamus jam ad alteram quaeſtionem, qua videndum est: quamnam ex istis decretis GULIELMUS acquiſierit potestatem.

Et ſane dicendum videtur abſolutam eum acquiſivisſe potestatem ſummumque imperium titulo rectoris vel vicarii. Vicarius, id est qui ſummi imperantis vice fungitur, (*Regent*) is est, cui ſummum imperium exercendi potestas delata est, donec ille cui ſummum competit imperium facultatem oppor-

tunitatemque illud denuo exercendi recuperet; unde illud ſequitur: vicarium poſſe regnare, regnumque ei eſſe delatum iisdem legibus ac conditionibus quibus ſummus imperans ex ſua ipſe perſona regnaturus erat, niſi ille conditiones jure ſuo commutavisſet. Regni procuratio (*Regentſchap*) est regni ſtatus non perpetuus, ſed ad tempus compoſitus, vulgo *proviſorius:* in illa igitur procuratione nihil peragi potest quod in perpetuum ſit duraturum, cum illi actus quibus populus, durante regni procuratione, ſummi imperantis jura violat, pariter illi, quibus vicarius jura ſummi imperantis alienat, ipſo jure nullius ſint momenti (25). Recte idcirco dixerunt Ordines (ſecundum quorum judicium PHILIPPUS carebat facultate regnandi) cum GULIELMUM vicarium agnoscerent, abſolutam ei competere potestatem, auctoritatem et ſummum imperium; comitibus enim haec omnia attributa fuerant in comitatu Hollandiae. Ne tamen quae diximus ſtrictisſimo intelligantur ſenſu, certe ſecundum regulas juris haec ſeſe ita habere debuisſent, quoniam illae regulae immutabiles ſunt; ſed quando aperte obſistitur ſummo imperanti fieri ſolet ut ab iis regulis *re* et *facto* ſaepius deflectatur; quapropter gaudemus quod tantum

(25) Jure ſuo idcirco uſus est nuper princeps DE GENEVOIS in Sabaudia cum nullas declaravit concesſiones quas princeps DE CARIGNAN populo fecisſet.

tum in paucis, fortasſe in paucisſimis et minoris adeo momenti rebus, ab iis tunc ſit deflexum. Illud igitur probasſe ſatis habebimus, GULIELMI potestatem convenire cum imperio comitum et, ſi potestas illa decreto fortasſe minus clare circumſcripta fuerit, illam tunc derivandam et explicandam esſe e comitum imperio. Nonnullas ſane quidem haud diffitemur esſe factas immutationes, quas enumerare nihil attinet: expoſui enim jura comitum, expoſui jura vicarii, exiguas differentias lector ipſe videbit, qui noſtram quidem hactenus ſequi disputationem non aspernatus ſit.

3°. Tertium quod conſiderandum erat, illud est: num decretis illis deſierit vinculum quod PHILIPPUM comitem inter et GULIELMUM comitis praefectum exſtitisſet?

Et negando reſpondendum videtur, quum pacificatio gandavenſis et unio trajectina (uti videbimus capite tertio) et decreta Hollandiae, diſerte probent illud vinculum idcirco disruptum, non cenſeri (26). Quum PHILIPPUS agnosceretur, etiam magistratus quos creaverat, erant agnoscendi; et

GU-

(26) Vid. e. g. *Reſ. v Holl.* 25. Jul. 1579. In fine anni 1580. in provincia Tranſiſalania illud vinculum nondum cenſebatur disruptum; oppido Steenwyk obſidione clauſo cives, quum ad deditionem esſent moniti, reſponderunt ſe oppidum ſervare regi ſub praefectura Ordinum et principis ARAUSIACI. vid. WAGENARIUS *T.* VII. *p.* 358.

GULIELMUS comitis praefectus primarius erat magistratus.

Illud igitur vinculum tantum potuit disrumpi abjuratione, quare dicendum est, permansisse illud usque ad annum 1581. Sed qua ratione componi potest vinculum, de quo nunc loquimur, cum illa potestate quam nuper nactus erat GULIELMUS? Multae sane provinciae contra PHILIPPUM arma capessiverant, existimabant eum ex caussa violatorum privilegiorum, ad tempus (*ad interim* ut vulgo dici solet) et tamdiu donec privilegia haec restituisset, carere regnandi facultate, eumque non alio loco censebant quam furiosi aut mente capti, qui vicarium non nominasset, ita ut primus magistratus ipso jure esset vicarius, quem et Ordines non recusarunt agnoscere vicarium. Quod si PHILIPPUS vicarium nominasset, unum vicarium nominare potuisset qui omnium regnorum et provinciarum habenas teneret; sed cum nullum nominasset, tot vicarii esse debuerunt, quot e vario jure PHILIPPUS regna tenebat. Non enim Hollandiam regebat quia rex Hispaniae erat, aut quia dux Brabantiae et comes Flandriae; sed quia *comes* erat *Hollandiae*; estque haec necessitudo (*relatio*) sola origo et fundamentum potestatis quam PHILIPPUS in comitatu Hollandiae exercebat, cujus erat primus dignitate magistratus GULIELMUS, ideoque ejusdem comitatus ipso jure vicarius is erat, quem Ordines vicarium

agno-

agnoverunt. Quae cum ita ſint, non tantum posſumus GULIELMUM vicarium et praefectum agnoscere, ſed nobis ex Ordinum doctrina circa jura et PHILIPPI facultatem regnandi judicantibus, incumbit officium, agnoſcendi GULIELMUM vicarium et comitis praefectum. Eum igitur agnoscere debemus, ubi de patria noſtra tunc temporis loquimur, revera vicarium, at cum PHILIPPI jura haud negemus, necesſe est fateri GULIELMUM fuisſe praefectum PHILIPPI. Verbo: PHILIPPUS habebat jus regnandi, ergo PHILIPPI praefectus fuit GULIELMUS; PHILIPPUS facultate carebat, qua jus regnandi potuisſet exercere; ergo GULIELMUS fuit vicarius PHILIPPI. Vicarius non obſtrictus est eorum quae hoc reſpectu egit rationes reddere ſummo imperanti, et quandoquidem PHILIPPUS numquam cum Hollandis redire in pacem posſet, quin ſic ipſe ſe inutilem ad regnandum profiteretur (ſive ut vulgo loquuntur, ſuam ipſe incapacitatem agnosceret), GULIELMUM pariter legitimum hoc caſu agnoscere deberet vicarium, neque rationes ab eo exigere, nec reum agere posſet GULIELMUM eorum, quae vi muneris quod exercebat ideoque tamquam a vicario geſta fuerant.

Mirum fortasſe alicui videbitur, illa decreta memorata non ſecus de Zeelandia ſtatuere in rebus pecuniariis quam de Hollandia; cum tamen Ordines Zeelandiae non magis decreta circa tributa in comita-

tatu Hollandiae ferre posſent, quam Ordines Hollandiae circa tributa in comitatu Zeelandiae. Hujus rei haec causſa fuisſe videtur, quod Hollandiam inter et Zeelandiam *unionis* illius *particularis* (ut vulgo vocatur) ineundiae animus jam tum fuisſe videtur, (id quod mox apparebit,) quae tamen *unio* anno demum 1576 menſe aprilis ſolenni pacto fuit inita. At non propterea tamen Hollandiae Ordines liberabantur ab obligatione quae ipſis incumbebat. Illi enim tradendi ſummi imperii fuerant auctores, illi contraxerant, illi ſummum imperium tempore belli in GULIELMUM transtulerant, neque conditionem ut Zeelandia iis decretis conſenſum daret, aut eorum particeps esſet, adjecerant. Quod enim de Zeelandia dixerant, nullam id adferébat conditionem aut promisſionem, tantum ſpes aderat ut Zeelandia aeque hisce conditionibus ſeſe vellet obſtringere. (27)

De unione Hollandiam inter et Zeelandiam ver-

(27) In iis quae hactenus in hoc capite inveniuntur, plane disſentio a SLINGELANDIO, qui de hisce fere nihil habet neque agnoſcit, Ordines Hollandiae jam tunc temporis GULIELMUM ſummum imperantem ſeu potius ſummi imperii exercendi jure praeditum habuisſe. (Vid. *Tom.* I. *p.* 94) Melius illa intelligere videtur KLUITIUS in opere ſaepius laud. (*Tom.* I. *p.* 95—103,) qui praeterea plurima quae de his inveniuntur in *Decr. Holl.* edidit *l. c. p.* 401—415. WAGENARIUS nonnulla habet ſed confuſe; quaenam autem de his ejus fuerit opinio confiteor me non intelligere. Inprimis autem errasſe videtur SPIEGELIUS qui ne agnoscit quidem quae anno 1572 hac de re jam fuerant acta. *Satisfactie van Goes*, *p.* 63. *et ſeqq.*

verbo jam diximus; illa autem unio argumentum erit capitis sequentis. Attamen hic jam nobis enarranda sunt, quae de hac unione eo ipso tempore, de quo illud caput docet acta sunt, propter eventus qui inde orti sunt, quique tantum ad Hollandiam pertinent.

Ad *d.* 17 *Sept.* 1574 (28) vidimus Ordines jussisse gubernatori consiliariis et Ordinibus Zeelandiae rescribere gratiasque agere, ob monitum ut opportuno tempore cogitarent quis futurus maxime idoneus esset quem civitati praeficerent, si forte princeps humani quid pateretur; sed cum hac de re principi quid sentirent, dicere non possent, neque cum eo communicare nisi adessent, rogarunt eos ut legatos mitterent, qui hac de re secum agerent et communi consilio statuerent.

Hoc anno hac de re nihil amplius inveni. Mense martio anni 1575 iterum de unione agere coeperunt, fortasse quoniam legati Zeelandiae adessent propter pacem, cujus instaurandae voluntate tum temporis PHILIPPUS pariter ac nostrates movebantur. Certe ad *d.* 9 *Martii* 1575 (29) video Ordinibus fuisse propositum nonnulla statuere et definire de forma regiminis; ad haec autem Zeelandia respondit, cum princeps nuperrime statuisset de im-

(28) Vid. *Res. v. Holl.* 17. Septembr. 1574. *fol.* 98.
(29) Vid. *Res. v. Holl.* 9. Martii 1575. *fol.* 131.

imperio, timendum fore, ne illa mutatio caufam daret perturbationi et confufioni; rogabant tamen Zeelandi ut vias et rationes auxiliaque, et quo denique modo unionem formamque regiminis ordinare vellent, fcripto exponerent.

Ad *d.* 13 *Aprilis* (30) quum fpes pacis adesfet nulla et hostes eos circumvenire vellent, utile videbatur decretum ferre circa formam regiminis et unionem, in quem finem nonnulli electi funt qui cum principe hac de re agerent. Ad *d.* 19 *Aprilis* (31) electi funt qui describerent formulam (*inftructionem*) unionis articulorumque cum principe et inter Ordines civitatesque conficiendorum. Ad *d.* 20 *Aprilis* (32) praelecti funt articuli unionis inter provincias civitatesque quae principi obedientiam praeftare debebant. De imperio autem actum non est.

Ad *d.* 17 *Maji* (33) nobiles fuam pronunciaverunt fententiam, quomodo quibusque conditionibus forma regiminis ordinanda esfet; deinde Ordines nonnullos elegerunt qui decretum circa formam imperii conciperent.

Ad *d.* 18 *Maji* (34) quae conceperant praelecta funt

(30) Vid. *Ref. v. Holl.* 13. Aprilis 1575. *fol.* 227.
(31) Vid. *Ref. v. Holl.* 19. Aprilis 1575. *fol.* 239.
(32) Vid. *Ref. v. Holl.* 20 Aprilis 1575. *fol.* 245.
(33) Vid. *Ref. v. Holl.* 17. Maji 1575. *fol.* 291.
(34) Vid. *Ref. v. Holl.* 18. Maji 1575. *fol.* 294.

Bayerische Staats-Bibliothek München

ſunt, ſed cum plurimis deputatis potestas facta non esſet de iis agendi, postularunt, ut ſibi exemplum daretur ſimulque ut *concilio ſtatus* formula (*inſtructio*) praeſcriberetur et ſcripto conſignaretur.

Ad *d.* 19 *Maji* (35) formula ſeu inſtructio *concilio ſtatus* praeſcribenda, praelecta est decretumque de ea, una cum iis quae ad formam regiminis pertinebant, agendum.

Eodem die (36) electi ſunt qui principem rogarent ut articulos ſeu capita unionis conficeret, cum rationibus auxiliisque in hunc finem adhibendis, utque dum hac de re decretum ferretur.

Ad *d.* 21 *Maji* (37) princeps Ordinibus gratias egit ob fidem quam ei habuerunt. Sibi numquam aliud fuisſe propoſitum, quod et nunc profitebatur, niſi ut corpus vitamque pro harum regionum ſalute devoveret; et quamvis honestam misſionem petiisſet, quam etiamnum valde cuperet impetrare, tamen ſe esſe paratum ſummae adminiſtrationi praeësſe, ea tamen lege ac conditione, ut ſi auxiliis necesſariis indigeret aut ſi, quae ad patriae utilitatem praecepisſet, iis obtemperatum non ſit, ſeſe palam ac ſolenniter profiteri mali inde orituri culpam nullam ſibi posſe asſignari, ſeque omnium

(35) Vid. *Reſ. v. Holl.* 19. Maji 1575. *fol.* 300.
(36) Vid. *Reſ. v. Holl.* 19. Maji 1575. *fol.* 304.
(37) Vid. *Reſ. v. Holl.* 21. Maji 1575. *fol.* 311.

nium calamitatum esse innocentissimum. Quae pertinent ad auctoritatem et potestatem ea Ordinibus relinqui; darent ei quantum vellent, quandoquidem nihil ultra quaereret quam quod ad salutem reipublicae esset necessarium; circa articulos qui de religione agerent nonnullas proposuit difficultates; formulam agendi (*instructionem*) (38) concilii status approbavit, sed duos e nobilibus eidem adjungi voluit postulavitque ut magistratus, cives armati corporaque seu universitates ex animi sententia pronunciarent.

Ad *d.* 4 *Junii* (39) civitates in Ordinum Hollandiae coetu, quae sibi viderentur, pronunciaverunt de articulis quos Hollandiae Zeelandiaeque deputati confecissent, (40) eosque approbarunt et receperunt. Formula agendi sive *instructio* concilii status excogitata, (*concepta*) ab Hollandis admissa est, et unio eodem die tempore vespertino decreta.

Ad *d.* 10 *Junii* (41) Ordines Hollandiae Zeelandiaeque decreverunt inire unionem ad *d.* 1 *Julii* quae mansura erat usque ad *d.* 1 *Nov.* quo tempore continuari posset.

(38) Invenitur in Articulo 16. *Ende aengaende de Religie sal syne Excellencie doen surcheren ende ophouden d'exercitie van de Roomsche Religie.*

(39) Vid. *Res. v. Holl.* 4. Junii 1775. *fol.* 356. 357 et 359.

(40) Fuerunt illi qui electi erant ut articulos unionis conficerent uti apparet ex iis quae in margine inveniuntur.

(41) Vid. *Res. v. Holl.* 10. Junii 1575. *fol.* 380.

Zeelandiae regionis legati profecti ſunt (42), ita ut praeſtituto die unionem inire non posſent, cum res nondum conſummata esſet. Interea Ordines Hollandiae partis ſeptentrionalis ad *d.* 23 *Junii* (43) approbaverunt concilii ſtatus, quae vocatur, inſtructionem, paucis tantum exceptis mutationibus, quae iis concesſae ſunt.

Ad *d.* 11 *Julii* (44) Zeelandia pariter approbavit articulos circa formam regiminis confectos, quum ad *d.* 15 *Julii* (45) nonnulli electi fuisſent, qui ſecundum confectum decretum principi ſummum deferrent imperium. Mihi videtur princeps his conditionibus ſummum accipere imperium noluisſe; ad *d.* enim 19 *Julii* invenimus eosdem articulos Ordinibus iterum fuisſe propoſitos (46), (quod fieri non potuisſet ſi princeps illos pure acceptisſet) atque Hollandiam Zeelandiamque eos iterum comprobasſe (forte quod admittere nollent rogatam mutationem, quippe quos jam approbaverant) et decretum principi iterum offerri jusſisſe.

Ad *d.* 20 *Julii* (47) Ordinibus oſtenſum fuit principis ſcriptum circa formam regiminis, ſed Ordines in decreto perſeveraverunt. Denique ad *d.* 22 *Julii* princeps plane negavit hisce conditionibus ſum-

(42) Vid. *Ref. v. Holl.* 22. Junii 1575. *fol.* 417.
(43) *Ibid.* 23. Junii 1575. *fol.* 420.
(44) *Ibid.* 11. Julii 1575. *fol.* 487.
(45) *Ibid.* 15. Julii 1575. *fol.* 501.
(46) *Ibid.* 19. Julii 1575. *fol.* 516.
(47) *Ibid.* 20. Julii 1575. *fol.* 520.

summum se accepturum imperium, propterea quod admittere nollet, quae circa religionem decreta erant (48). Ordines sese hac de re deliberaturos esse promiserunt; utrum fecerint quod promiserant an facere neglexerint, affirmare non ausim, certe tunc temporis res eodem statu mansit. Si quod mihi probabile videtur, dicere liceat, crediderim Ordines noluisse illa GULIELMO concedere, et GULIELMUS veram colebat propugnabatque religionis libertatem, veram tolerantiam quam laudamus, quaeque maxime differt ab illa tolerantia quae rectius *indifferentia* videtur appellanda. Non ea mente erat GULIELMUS ut cultum romano-catholicum prohiberi vellet; nam uti bellum gerebat ut caussam tueretur reformationis, sic omnes sibi delatos honores recusavit eorum caussa, qui Deum etiam num antiquo more colebant; verbo: patronum sese praestitit reformatorum contra impotentem dominatum PHILIPPI; sed idem catholicorum fuit defensor contra intolerabilem in rebus sacris imperandi libidinem Ordinum. Et haec hujus decreti Ordinum vis est et significatio quod invenitur ad *d.* 20 *Julii* 1575, de quo tot feruntur sententiae quot inveniuntur, qui de hoc decreto (49) scripserunt, auctores.

Quam-

(48) Vid. *Res. v. Holl.* 22. Julii 1575. *fol.* 528.

(49) SLINGELANDIUS dicit principem ex illo decreto ab Ordinibus Hollandiae potestatem suam accepisse, (non agnoscit quae

Quamvis propositum mihi fuerat non disputare adversus scriptores nostros, tamen facere non possum quin, cum mea ab omnibus diversa plane abeat sententia, illorum a quibus dissentio, redarguam opiniones; praesertim cum in narratione mea, de iis quae in decretis Hollandiae inveniuntur, occasio mihi defuerit ostendendi atque animadvertendi illa quae illorum omnino evertunt sententias.

Primum ut SLINGELANDII refellam sententiam observandum habeo, inveniri ab eo citatum Ordinum decretum memoratum, cujus in principio, dicuntur Ordines *permansisse* sive *perstitisse* in illo (50);

un-

quae mense Nov. 1574. fuisfent acta. Vid. supra) statuitque latum esse decretum a. d. 20. Julii 1575. (*T.* I. *p.* 94. *et seq.*) SPIEGELIUS quoque SLINGELANDII sese adscribit sententiae sed decretum factum putat ad diem 11. Julii. 1575. (*l. c. p.* 64.) WAGENARIUS contendit Ordines Hollandiae illo decreto transtulisse in GULIELMUM I. summum imperium; illudque ponit latum ad d. incertum (*T.* VII. *p.* 16.) Omnes in eo conveniunt quod GULIELMUS ab eo inde tempore vi hujus decreti regnaverit. KLUITIUS factum putat ad d. 11. Julii 1575. et contendit illud esse pactum inter nobiles civitatesque Hollandiae qui eligunt GULIELMUM ut iis praeesset. (opere citato *T.* I. *p.* 103) Ego autem seposui libros qui sibi invicem repugnant, unamque veritatem ipsis e fontibus haurire conatus sum, neque rivulos sectandos existimavi ubi ipsum ad fontem pateret aditus. Judicet nunc inter nos aequus lector. Et est quod laeter, illa me invenisse unde confirmentur quae de GULIELMI dixi tolerantia, adhuc vulgo minus cognita.

(50) Verba sunt: „*de Staten vertoont zynde 't geschrift van syne Excellentie op het stuck van den Gouvernemente deselve Staten overgelevert; hebben de voornoemde Staten gepersisteerd bij de extensie van den acte des Gouvernements omme Syne Excellentie overgelevert te werden als hiernae volgt.*"

unde apparet Ordines jam antea in illo *ſtetiſſe* i. e. illud confecisſe, nemo enim in ſententia *perſistere* potest, niſi qui jam antea in illa *ſteterit;* unde patet illud decretum minime *in abſtracto* explicandum esſe, ſed *in concreto*, i. e. cum iis quae praecesſerunt et ſecuta ſunt. Quae praecesſerunt, pertinent ad unionem Hollandiam inter et Zeelandiam ſummumque imperium in GULIELMUM nomine hujus unionis conferendum; illud igitur decretum non tantum erat delatio ſummi imperii in GULIELMUM ab Ordinibus Hollandiae oriunda, ſed idem ab Ordinibus Zeelandiae proficiscebatur.

Alterum argumentum in eo poſitum est: quod Ordines Hollandiae ac Zeelandiae pridie obtulisſent principi ſummum imperium (51). Cum igitur illud ad *d.* 19. *Julii* principi obtulerint et princeps ad *d.* 22. *Julii* ejusdem anni recuſasſet, quomodo tunc ad *d.* 20. *Julii* ſola Hollandia illud principi deferre posſet ob causſam a SLINGELANDIO in medium prolatam, (52) Hollandiam hac de re cum Zeelandia convenire non potuisſe? KLUITII ſententiam aeque rejicimus, cum illud decretum referendum ſit ad *d.*

(51) Verba ſunt: *aangaende 't concept van den Gouvernemente 't ſelve de Staten in het generael weder voorgedragen zynde, omme Syne Excellentie gepreſenteert te mogen werden, is 't ſelve by die van Hollandt ende Zeelandt wederom geadvoueert en geordonneert Syne Excellencie gepreſenteert te werden.*

(52) Vid. *T.* I. *p.* 94.

d. 11. *Julii*, ut ipſe fatetur vir Cl. et ex edicto ipſo patet, quomodo tunc ad Hollandiam ſolam pertinere posſet, cum illo die actum fuerit de unione ſummoque imperio aeque a Zeelandia deferendo? (53)

Eventus inde ortus (cujus cauſſa de iis jam egimus hoc capite) est inſtitutio *concilii ſtatus* de quo quidem jam eo pervenimus ut, Hollandiae meridionalis pars ejus approbaret *inſtructionem* ad *d.* 4. *Junii* (54) Hollandiae ſeptentrionalis pars ad *d.* 23. *Junii* (55). Non autem exſpectaverunt donec omnia quae ad regiminis formam pertinerent parata esſent, ſed cum princeps pernegasſet ſe hisce conditionibus accepturum imperium, nominarunt Ordines XXI. viros e quibus princeps quatuordecim eligeret, illorumque catalogum ſeu tabulam, quo eorum nomina continebantur, miſerunt principi, quamquam Zeelandiae ſententia rogata non fuerat. (56) Inter eos tantum duo inveniebantur nobiles, quamquam patet ex *inſtructione* hujus *concilii ſtatus* quatuor nominari debuisſe (57), (princeps

(53) In illo aeque inveniuntur: *Ende aengaande de Religie ſal Syne Exellencie admitteren ende handthouden de oeffeninge van de Gereformeerde Evangeliſche Religie doende ſurcheren de Exercitie van de Roomſche Religie.* Vid. *Reſ. van Holl.* 20. Julii 1575. *fol.* 523. Conf. nota 38. hujus capitis.

(54) Vid. *Reſ. v. Holl.* 4. Junii 1575. *fol.* 357.

(55) *Ibid.* 23. Junii 1575. *fol.* 420.

(56) *Ibid.* 29. Julii 1575. *fol.* 536.

(57) *Ibid.* 19. Maji 1575. *fol.* 300.

ceps rogaverat ut fex e nobilibus adesfent. Vid. *Decr. Hollandiae* 21. *Maji fol.* 313.) quapropter contestata denunciatione hanc nominationem illegitimam vocarunt nobiles. (58) Ordines tamen tabulam illam feu catalogum (vulgo nominationem) ad principem mittere non dubitaverunt, fimul ei potestatem facientes nobiles hisce addendi et in ceterorum locum alios fublegendi, enixisfime rogantes ut comitem CULEMBURGENSEM inftitueret hujus collegii focium ut *concilii ftatus* fplendorem ac dignitatem augeret (59). Ad *d.* 12. *Augusti* Dordraci convocati funt (60) et ad *d.* 25. *Augusti* jusjurandum praeftiterunt postquam princeps iis in Ordinum coetu praelegisfet decretum; at illa tamen conditione, ut civitates intra decimum diem vicisfim jusjurandum esfent praefiturae (61).

Statutum (*ordonnantie*) invenimus ad *d.* 27. *Augusti* (62) confectum ab Ordinibus et confiliariis, in quo fcriptum legitur quod, cum Zeelandia decretum hac de re faciendum procraftinaret et falus Hollandiae poftularet ut pergeretur, nominasfent in hunc finem cum bona venia principis primarii et praefidis hujus collegii, quosdam viros idoneos, qui principem confilio et prudentia adjuvarent

(58) *Ibid.* 29. Julii 1575. *fol.* 536.
(59) *Ibid.* 8. Augusti 1575. *fol.* 552. *et feq.*
(60) *Ibid.* 12. Augusti 1575. *fol.* 564.
(61) *Ibid.* 25. Augusti 1575. *fol.* 598.
(62) *Ibid.* 27. Augusti 1575. *fol.* 601.

rent (63): effectui darent Ordinum decreta ac ſtatuta; inprimis ea quae de concesſis tributis agunt: judicarent de quaestionibus e ſtatutis circa tributa emergentibus: tributorum neque veniam neque immunitatem concederent, niſi ex conſenſu Ordinum; ſtatuerent de reditibus comitatus et urgente necesſitate 4,000. florenorum imperarent: foederis integritatem ſervarent ſanciendis poenis licitis in violatores: politiam, decreta et privilegia obſervari curarent: Ordines convocarent: abuſus tollerent aut praevenirent, et omnem vim publicam punirent: ad tempus nominarent, qui munera derelicta gererent: judices in curia et quibus aerarii administratio mandata erat, item actor et procurator publicus conſilio eos adjuvarent: in Ordinum coetu convenirent et eorum nomine agerent: eligerentur in ſex menſium tempus: electis nulla esſet excuſatio, niſi ob causſas ſonticas, de quibus penes principem et Ordines foret judicium, ſingulis diebus negotiis et deliberationibus vacarent per ſex horas. (64)

Ad d. 9. Septembr. (65) Civitates conſilio ſtatus jusjurandum praeſtiterunt.

Ad

(63) Verba ſunt: *ende ſullen voorts de voorſz. Raden Syne Excellencie asſisteren met raedt ende advis.*

(64) Mira praeſcriptio! conſiliarii per totum diem urgente necesſitate vacarent, pigri ad *vacandum* cogi posſunt ad *deliberandum* non item.

(65) Vid. *Reſ. v. Holl.* 9. Septembr. 1575. *fol.* 622.

Ad *d.* 20 *Septemb.* (66) princeps orationem habuit qua formam regiminis decretam mense *Octbr.* 1574. ab Ordinibus approbatam diceret, at deinde rurſus improbatam, cum concilium ſtatus peterent, quod comprobare non recuſavit ſperans fore ut magnam inde utilitatem esſent percepturi, at vero concilium ſtatus nihil perfecisſe et ſi permanſurum ſit omnia esſe perturbaturum; illud porro inſtitutum fuisſe ut ageret de rebus totius Hollandiae Zeelandiaeque et nunc tantum de rebus partis unius Hollandiae agere posſe, corpora civesque armatos non niſi cum magna difficultate illud agnovisſe, ita ut praeſtaret concilium ſtatus nomenque ejus, quippe univerſe omnes provincias foederatas complecteris, cesſare, et Ordines illam potestatem ſibi vindicare, exercendam per *deputatos*. De his diu deliberatum est (67) apud Ordines tandemque decretum ut declararent, numquam ſibi aliam fuisſe mentem quam ut princeps ſummum haberet imperium cui univerſa totius Hollandiae adminiſtratio esſet adjuncta, illo titulo qui aptisſimus esſet, plurimumque et ſplendoris auctoritatisque ei conferret, immo comitis Hollandiae nomen et dignitatem esſet habiturus (68). Finem ita imponunt Ordines concioni,

ad

(66) Vid. *Reſ. v. Holl.* 20 *Sept.* 1575. *fol.* 647.

(67) Vid. *Reſ. v. Holl.* 20. Septembr. 1575. *fol.* 648.

(68) Non intelligo quo jure Ordines GULIELMUM comitem agnoſcere posſent ante PHILIPPUM abjuratum. PHILIPPUS erat

co-

ad octo dierum tempus propositionem approbantes, cum interea voluntatem urbium cognoscere vellent.

Quid dein actum sit de eo concilio mihi non innotuit, sed evanuisse illud ex eo patet, quod deputatos nominatos videmus (69).

Ecce collegium, de quo dictu difficile videtur, quid magis in eo mirandum sit, creatio seu institutio, an ad breve tempus circumscripta duratio, an statutum seu praescriptio, (*ordonnancie*) an denique ejus interitus!

Mirifica sane ejus est creatio seu institutio. Fuit forma regiminis, quae ne per unius quidem anni spatium exstitit, cum de *unione* conveniri non posset, qua princeps eandem in Zeelandia exerceret potestatem, quam exercebat in Hollandia, quae si contracta sancitaque fuisset, concilium ei status adjunxissent. Princeps iis consensit, sed cum nollet prohibere cultum romano catholicum, *unio* citius fuit disrupta, quam potuit contrahi.

Nunc certe omnia in eodem statu manere debuissent, in quo res fuerant antequam de unione Ordines egissent, sed ex improviso Ordines Hollandiae meridionalis concilium status creaverunt, cujus creatio regalibus accensenda erat, quae GULIELMO vicario competebant. Princeps iis obsistere non potuit,

ele-

comes, unus tantum in civitate summus esse potest, qui erat comes; ergo GULIELMUS comes esse non poterat.

(69) Vid. *Res. v. Holl.* 7 et 13. Octobr. 1575. *fol.* 681 et 693.

elegit e designatorum numero, eorumque fidem jurejurando adstrinxit; conficitur concilii statutum seu praescriptum, quod constituebat ut effectui darent, ut judicarent, ut disponerent, (70) ut singulis diebus vacarent et deliberarent per sex horas. Honorarii loco illis tribuuntur in dies singulos aliquot oboli, quibus adduntur alii nonnulli, quoties sese officii caussa in alium locum conferre deberent, cum et vecturae aut rhedarum nomine viaticum illis e publico dinumeraretur. Denique illud omnia confundit et perturbat: exstinguitur ad tempus octo dierum, et evanescit.

Multum fuit disputatum de illo concilio status ejusque potestate, equidem Ordines in partem vocabo, ut litem dirimant. Illi autem declarant, ad *d.* 20 *Sept.* 1575 (71) sibi nullam fuisse mentem aliam, nisi ut princeps haberet summam potestatem, imperium summum, omnemque Hollandiae administrationem. Quae si Ordines declarant, procul dubio vera sunt censenda. Cum igitur princeps illa habuerit, consequens est *concilium status* brevi tempore quo exstitit, eadem illa non habuisse, id est, concilium illud principi tantum potuisse suadere et quae GULIELMUS mandavisset, ea effectui seu executioni dare.

Prae-

(70) Nonne haec sibi invicem manifesto repugnare videntur?

(71) Vid. *Res. v. Holl.* 20. Septembr. 1575. *fol.* 648.

Praeter illa Ordinum verba aliud etiam argumentum contra concilii poteſtatem ex etymologia et uſu verborum, de quibus ſupra jam egimus, petere poſſim (72). Sed et illud valere videtur; unus in civitate eſſe debet qui colligit diverſas imperii partes quique unus imperat; tale non fuit collegium concilii ſtatus, in quinque partes diſpertiti (73), ergo nullum habuit imperium illud concilium (74).

Omnia igitur quae hoc anno circa ſummum acta fuerunt imperium, vana et irrita nulliusque adeo momenti fuisſe videntur, quapropter manſit illa forma quae in fine anni 1574 ſtatuta fuerat.

Finem jam huic capiti impoſiturus paucis monebo, principem revera ſummum exercuisſe imperium, namque:

1. Ordines declarant ad *d.* 18 *Junii* 1575 (75) ſeſe reipublicae adminiſtrationem ipſos ſuscipere quoniam GULIELMUS illud voluit (76).

2. Princeps jubet eos ad *d.* 9 *Julii* deputatos mittere qui ipſum conſilio adjuvent (77).

3°.

(72) Vid. *Pag.* 49. *et ſeqq.*

(73) Vid. *Reſ. v. Holl.* 29. August. 1575. *fol.* 609.

(74) In iis quae ad illud concilium ſpectant a plerisque disſentio ſcriptoribus; plane diverſus abeo a ſententia SLINGELANDII et WAGENAERII, aliquanto magis mihi convenit cum KLUITIO qui poteſtatem concilii bene expoſuit, ſed hiſtoriam ejus non accurate ſatis enarravit.

(75) Vid. *Reſ. v. Holl.* 18. Junii 1575. *fol.* 409.

(76) Illud tantum fuisſe ad tempus ſeu ad interim ut vulgo dici ſolet nemo non intelliget. Princeps tunc Zeelandiam petebat.

(77) Vid. *Reſ. v. Holl.* 9. Julii 1575. *fol.* 482.

3. Quodſi Ordinibus aliqua potestas competivisſet, certe eorum plurimi in concione adfuturi fuisſent. Anno 1575 agebatur de pace, tunc adfuerunt, ſed inſpectis decretis Hollandiae menſis decembris 1574 videbimus paucos adfuisſe, ſaepe non plures quam quatuor vel quinque. Ad *d.* 16 *Dec.* 1574 OTTO ab EGMONDT Dominus KENENBURGII ſolus adfuit et decrevit (78).

Summa igitur concluſio hujus capitis eo redit:

I.

Anno 1574 fere praeterlapſo ſummum imperium *re* et *facto* penes Ordines fuit, cum *jure* illud exercere GULIELMUS debuisſet.

I I.

GULIELMUS Ordinibus cedere voluit, cum perſuaſum ſibi esſet, ſe hac ratione melius propoſitum conſecuturum fore.

I I I.

Cum Ordines certiores facti esſent GULIELMUM ſe ab imperio abdicare velle et perſuaſum ſibi esſet, ſe principe carere non posſe, inter ſe dilitigasſe videntur, quantum juris ei attribuerent, quantum ſibi retinerent.

I V.

(78) Vid. *Ref. v. Holl.* 16. Decembr. 1574 *fol.* 249.

I V.

Gulielmus et Ordines convenire non potuerunt de summa pecuniae ad bellum gerendum necesſaria; quum Ordines gulielmi voluntati ſatisfacere nollent, declaravit ille ſe patriam derelinquere velle, cum niſi ſumma 45,000 florenorum unoquoque menſe ſolvenda, bellum aliqua ſpe boni eventus gerere non posſet, qua declaratione Ordines perterriti rogatam pecuniae ſummam ad ſpatium quatuor menſium anni 1575 concesſerunt.

V.

Gulielmi dictum ſe patriam relinquere velle vere ex ejus animi propoſito fluxisſe videtur.

V I.

Decretum latum ad *d.* 12 *Nov.* 1574 cum mutationibus, quas exegit princeps die ſequenti, formam conſtituit regiminis.

V I I.

Jus decreta ferendi de forma regiminis penes Ordines non fuit eaque tantum valuerunt ratihabitione gulielmi.

V I I I.

Gulielmus his decretis abſolutam poteſtatem ſummumque imperium acquiſivit nomine Rectoris vel Vicarii.

I X.

Illa gulielmi potestas conveniebat cum imperio comitum.

X.

X.

His decretis vinculum PHILIPPUM comitem inter et GULIELMUM comitis praefectum non cessavit. Agnoscendus enim ubi de patria tunc temporis loquimur, tamquam vicarius, cum PHILIPPI jura haud negemus, tamquam praefectus.

XI.

Causa quapropter in decretis memoratis in rebus pecuniariis aeque de Zeelandia agitur, videtur esse *unio* quam eo tempore jam Hollandi ac Zeelandi contrahere voluerunt. Quamvis illa eo tempore contracta non fuerit, Hollandia tamen ab obligationibus susceptis non liberabatur.

XII.

Unio anno 1575 pacta non fuit, cum princeps admittere nollet quae circa religionem decernere vellent Ordines, qua in lite catholicorum contra Ordines patronum se praestitit GULIELMUS.

XIII.

De collegio concilii status creato anno 1575 dici nequit quid magis miremur, ejus institutionem, ad breve tempus circumscriptam permansionem, ejus praescriptum, an denique ejus interitum.

XIV.

Concilium status principi tantum suadere potuit, illaque quae GULIELMUS mandaret executioni dare.

XV.

Omnia illa quae anno 1575 circa summum acta fuerunt imperium, vana et irrita et nullius adeo momenti fuerunt, quapropter mansit illa forma imperii quae in fine anni 1574 statuta fuit.

CAPUT TERTIUM.

DE JURE GULIELMI I, QUOAD SUMMUM IMPERIUM IN COMITATU HOLLANDIAE, A FOEDERE UNIONIS HOLLANDIAM INTER ET ZEELANDIAM, USQUE AD PHILIPPUM II ABJURATUM, ID EST AB ANNO 1576—1581.

Vidimus fuperiori capite unionem iniri non potuisfe, principe fummum imperium fuscipere recufante, quoniam labem perfecutionis ob causfas religionis recipere nolebat. Cum autem illam unionem, perfectum iri cuperet, bonis eam conditionibus pangi voluit. Primus hac de re denuo cum Ordinibus Hollandiae locutus est, quorum confilio ad *d.* 30 *Januarii* 1576. ad omnes civitates Hollandiae feptentrionalis et Zeelandiae fcribi jusfit, mitterent legatos cum potestate liberrima, qui pactum et foedus unionis componerent, ita ut opus non esfet hac de re, priusquam rata cenferi queat, ul-

ulterius referre ad mandantes (vulgo, *committentes*). (1)

Clausula illa necessaria videbatur ut res ad finem perduceretur, relatio enim ad mandantes (*committentes*) semper fuit artificium quo illi utebantur, qui consilia publice profutura ad exitum perduci nolebant.

Conveniunt ad *d.* 13 *Martii* qua occasione princeps orationem habuit elegantem, perspicuam, egregiam argumentorum pondere et gravitate cum e religione tum e politica depromtorum. Et hujus quidem orationis operae praetium facturi videmur, si hoc loco quandam quasi epitomen exhibeamus. (2) Testabatur igitur, cum hostes pacem pangere nollent, nullum aliud remedium superesse, nisi ut omnes omnino nervos intendant, quo hostibus fortiter et animose obsisterent, ita enim futurum, ut juvante Deo, optatissimus rerum exitus obtineatur, quem haudquaquam consecuturi sint illi, qui animo inter incerta dubiaque consilia suspenso, perpetua haesitatione et diffidentia sui, noctes atque dies hostes quasi quaedam terriculamenta ante oculos habeant: hujusmodi abjectae ad servitutem mentis consilia pertinere ad imminuendum summi ac praepotentis Dei numen (cujus fiducia nulla non dis-

(1) Vid. *Ref. v. Holl.* 30 Jan. 1576. *fol.* 3.

(2) Invenitur haec oratio in decretis Hollandiae 13 Martii 1576. *fol.* 11.

discrimina ſuperari posſent) nec aliter de Deo optimo maximo videri existimare ſegnes et desperatos, quam quaſi ille miſeros et calamitoſos non tueretur: ipſos porro maxima reprehenſione dignos habendos, quod non ratione et prudentia ſed temere et impetu magis quam conſilio rem tantam ſuscepisſe, nec antea de juſtitia causſae rationem iniisſe facile posſint cenſeri: quandoquidem enim Deus jam eo usque et ducem ſe et adjutorem praebuisſet, profecto necesſe non esſe metuere hostem ſaepius victum, Deum quoque ita porro auxilio futurum, uti ab omni animi demisſione ac ſocordia ipſi ſe praeſtituri ſint vacuos atque immunes (3). Haec ſi certa firmaque ſint, ante omnia requiri ut certum firmumque ineatur foedus, uti jam pridem iis viſum fuerat, cum hac de re ad *d.* 4 *Junii* deliberasſent, concordia namque res parvas crescere, discordia vel maximas dilabi, discordiam esſe reipublicae pestem, quae ut tollatur, ante omnia id agendum esſe, ut privata ſinguli odia et privatas quoque caritates uni communis patriae caritati condonent, et ſalus publica ſuprema lex et ſit et habeatur cunctis: quoniam perſuaſisſimum habere debeant, non posſe unam regio-

(3) In eandem ſententiam locutus est CATO apud SALLUSTIUM *in Bello Cat. Cap.* LII. „Non votis, neque ſuppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur; vigilando, agendo, bene conſulendo prospera omnia cedunt."

gionem in periculo versari, quin ceterae eodem labefactatae discrimine sint interiturae: (4) contra si communio (*generaliteit*) conservetur, singulas partes salvas fore: itaque regiones uno communi vinculo copulandas et tanquam in unum corpus consociandas esse: ut dissolvi numquam possint, quibus peractis avaritiam et privati commodi studium abjicienda esse. Itaque si decrevissent: primo, hostibus porro esse obsistendum, deinde, unionis foedus pangendum, denique, omnem avaritiam commodaque privata tuendi studium esse abjiciendum, Dei auxilio procul dubio optimum consecuturos finem. Haec ut perficiantur, necesse esse ut milites stipendia suo tempore accipiant, ut naves diligenter ornentur, ne universa mox patria eodem in periculo versetur quo pressa fuisset urbs Zirikzea; eumque in finem tributa conferri et colligi eodem ubique modo et forma oportere, ut litium aliquis finis inveniatur, quibus hostes invitentur, ut intestinis jurgiis occupatos et communem defensionem negligentes adoriantur, et nullo negotio statim opprimant. Se diutius moram facere non potuisse quin verum reipu-

(4) Gulielmus tunc temporis obsessam urbem Zirikzeam liberari cupiebat; quod propositum quominus ad exitum perduci posset, obstabat invidia quae urebat vicissim Zeelandiam Hollandiamque, quae multis, saluti publicae alioquin profuturis, consiliis inceptisque impedimento fuit. Vid. Bor. *Lib.* IX. *fol.* 138.

publicae statum, ut se haberet, ita iis aperte et candide exponeret; rogans brevi decretum facere velint quod firmum ratumque sit et communi saluti prospiciat: sibi porro vitio verti si aliquid detrimenti vel incommodi respublica capiat, quasi sua illud accideret negligentia et socordia, indeque honorem suum et famam minui; quamvis ipse non dubitanter pronunciare audeat, res, si semper suae obtemperatum fuisset voluntati, si ex humana aestimatione pronunciari fas sit, non eo desperationis perventuras fuisse: denique, si remedium afferre illis non possent, si non omnem tergiversationem et tardiorem eorum quae reipublicae caussa jussisset, exsecutionem et vanas omnino moras nectendi perversam consuetudinem deponerent, si statim unionis foedus non contraherent, malle alium sibi succedere, cujus jussa et incepta ipsis fortasse gratiora acceptioraque sint futura.

Ad *d.* 21 *Martii* electi sunt qui principem rogarent quomodo referendum esset de eo quod princeps proposuisset, (5) et ad *d.* 23 *Martii* decreverunt Ordinum membris (*adscriptis*) articulos seu capita tradere ut referrent. (6)

Ad

(5) Vid. *Res. v. Holl.* 21 Martii 1576. *fol.* 21 *et seqq.* Verba sunt: *Omme Syne Excellencies goede geliefte te verstaen, in wat voegen daerop rapport in den haren soude werden genomen.*

(6) Vid. *Res. v. Holl.* 23 Martii 1576. *fol.* 28.

Ad *d.* 25 *Aprilis* denique, quae excogitata (*concepta*) esſent circa unionis foedus et regiminis formam, ea decreta ſunt, et jusſerunt Ordines eorum inſtrumentum confici (in authenticam formam redigi, ut hodie loquuntur) et ſigillis inſtrui cum magnarum tum parvarum civitatum; principem porro rogaverunt, ut et ipſe ſubſcriberet et ſigillum apponeret. (7)

Sic tandem post annum exactum huic morae finis fuit impoſitus, cum adhuc Ordines unionis foederi ſemper adverſati fuisſent et impedimenta objecisſent. Ita haec *unio* contracta fuit ſolius GULIELMI animi conſtantia et perſeverantia, cui propoſito, ut tandem perficeretur, non nihil fortasſe quoque profuit REQUESENSII obitus, qui ad *d.* 5 *Aprilis* hujus anni fato functus est.

GULIELMI jura quo melius intelligamus, pauca de unione ipſa monenda videntur, de quibus nunc disputandi locus erit, ſiquidem hiſtoriam illorum actuum ipſis e fontibus abunde enarrasſe videmur.

Initium faciamus ab explicanda unione quae (8) duodeviginti continetur articulis ſtatuitque ut ſibi in-

(7) Vid. *Reſ. v. Holl.* 25 *Aprilis* 1576. *fol.* 54.

(8) Invenitur in *Reſ. v. Holl.* ad *d.* 28. *Aprilis* 1576. *fol.* 59. KLUITIUS (*Hiſtorie der Hollandſ. Staatsreg. T.* I. *p.* 116) memorabile putat idem foedus jam inveniri ad *d.* 4 *Junii* 1575, quae obſervatio ejus infringere videtur ſententiam circa actum, qui invenitur ad *d.* 20 *Julii* 1575, cum e contrario noſtram confirmet.

invicem consilio et facto opitulentur provinciae, cum hoste nulla de re communicent, neque cum eo paciscantur nisi communi consensu et consilio principis: a principe convocati conveniant atque a praesentibus decernatur: omnes lites caussaeque, inter foederatas regiones ante motus hosce civiles ortae, quiescant ita ut nihil de iis interim statuatur: post motus civiles ortae vel oriturae principi dijudicandae subjiciantur: liberum inter regiones futurum sit commercium, quod in omnibus civitatibus promulgetur: nullus civis aut incola unius civitatis in aliam admittatur, nisi consensu magistratus ejus loci unde profectus esset: opem sibi invicem ferant omnes, injurias, contumeliam, ignominiam, damnum vel vim cum avertendo, tum, si ei rei locus esset, resarciendo et vindicando: auxilium sibi invicem praebeant, auctoritatem magistratuum, justitiae administrationem et decretorum statutorumque exsecutionem tuendo adjuvandoque: omnia secum vicissim communicent prout inter amicos et quasi cognatos fieri aequum sit: de damno et periculo sese invicem si quid immineat, commonefaciant neque sumtibus aut labori parcant: manente hoc tempore belli, et donec secus statutum sit, impensas ad bellum gerendum communemque defensionem, post *d.* 1 *Maji* necessarias pari et aequa inter singulas omnesque ratione in commune conferant et quasi ex uno fonte hauriant: rebelles cogendi sint

 vin-

vinculis adjuncta bonorum adnotatione: quaecumque ad bellum pertineant, foederis focii principis fub imperio, tali communione, concordia, amicitia ex unionis foedere adminiftrent tamquam fi illae regiones unam tantum civitatem et unam rempublicam efficiant, et ut tributa concesfa colligantur, et communi inter fingulas ratione conferantur, utque omnis invidia, fufpicio omnis arceatur, in illa Hollandiae parte iis, quibus princeps et Ordines utuntur ad rei confervationem, tres ex Hollandia feptentrionali, totidemque ex Zeelandia adjungantur, et ita ex Hollandia meridionali tres in feptentrionalem hujus provinciae partem totidem in Zeelandiam mittantur; unio porro continet adverfas rationibus rationes, (*contrôle*) modum tributorum colligendorum, et bona quae tributorum oneri fubjicienda fint.

Uberiori fuper unionis foedere disquifitione inftituenda fuperfedere me posfe putem, quandoquidem illa disquifitio, hactenus tantum ad praefentem difputationem necesfaria videtur quoad GULIELMI jura circa fummum imperium in foederatis comitatibus ex vero inde aeftimari posfint, quapropter jam nunc continuo ad illam tranfeo quaestionem qua de fummo imperio GULIELMO principi delato agendum est. (9)

Quum omnia corpora, respublicae omnes unice hac

(9) Inventitur *ibid. fol.* 64.

hac unitate conſervantur, crescunt et robur ac firmitatem nanciscuntur, quae inveniri nequit in multorum imperio, qui ſemper disſentiunt voluntate et animis, necesſe est, moderamen totius reipublicae uni ſummo imperanti cui omnes omniaque pareant esſe mandandum; jam vero cum notum et multis documentis perſpectum esſet ſtudium et amor principis erga haſce regiones, quorum in primariis et maxime illustribus unusque omnium excellentisſimus merito erat cenſendus et praecipuus et quaſi caput Ordinum, rogarunt eum et obteſtati ſunt, et quoad posſent, creaverunt eum atque inſtituerunt caput reipublicae ſummumque imperantem qui rebus omnibus non interesſet modo, ſed plane praeësſet, ut hasce provincias regeret earumque adminiſtratio penes eum tota esſet, ſecundum jusjurandum quod praeſtitisſet, eique tribuerunt omnem poteſtatem auctoritatemque quae huic propoſito obtinendo esſet necesſaria; idque ſequenti forma et modo:

Tempore belli princeps abſolutam auctoritatem potestatemque (*volkomen authoriteyt en macht*) habiturus esſet tamquam ſummus imperans et ſupremus reipublicae rector (*als ſouverain en overhooft*) jubere et vetare omnia quae ad harum regionum conſervationem et defenſionem utilia forent; ita ut princeps in omni re militari terra marique pro arbitrio ſtatueret, tribunis militum jusſa daret, ſtipendium ſolveret, disciplinam ſervaret, uti uti-

lisfimum existimaret, ita ut de harum regionum defensione statueret et disponeret princeps, qui in hunc finem adhiberet milites et naves sine consensu, vel consilio Ordinum, magistratus, cet; civitates ante reciperent praesidia (*garnisoenen*) quam iis liceret queri: nihil interesset, quis solveret militum stipendia, cum omnes milites naves et nautae, cum pecuniis quas e communibus unionis copiis producerent ejusdem naturae ac conditionis habendi essent: de iisque statui non posset, nisi e principis voluntate et edicto: princeps curaret, legibus ut obtemperaretur disciplinaeque: rebelles ut punirentur, cui rei cives armati corporaque praesto essent, ut primum a principe evocarentur: una cum Ordinibus institueret quaestorem: nomine regis, quippe comitis Hollandiae Zeelandiaeque, justitiae administratio principi curae esset: videret praeterea ut curiae itemque concilio provinciali suus haberetur honos: eligeret consiliarios e trinis ab Ordinibus huic muneri obeundo designatis: veniam concederet, (jus gratiae exerceret) sed adhibitis in concilium magistratibus et procuratore publico loci: commeatus et clientelam (*sauvegarden*) tribueret: eligeret, crearet et redintegraret tempore solito magistratus civitatum earumque beneficia et privilegia: tempore insolito idem faciat caussa cognita, (10) et

(10) Quid significent illa verba *caussa cognita*, (*met ken-*

et fcientibus illis qui fenatum corporaque civitatum repraefentant falvis beneficiis et privilegiis: quod attinet ad religionem, admitteret confervaretque integram Deum colendi libertatem, fcilicet ejus quae reformati evangelici cultus nomine inclaruerat, religionis ejus autem, quae evangelico adverfaretur, cultum impediret atque tolleret (11): non inquireret in civium de rebus divinis fententiam aut confcientiam, cujus rei nomine nemini vel injuriam inferret vel molestiam crearet: idque ne alii facerent diligenter caveret.

Ordines foederati generatim, ductores, magiftratus, cives armati corporaque in omnibus urbibus ac pagis jurarent, fe principi in imperio, jusfu et

kennis van zaken?) num igitur actus non valeret *causfa non cognita?* at vero fic non *praeësfet* civitati, non esfet fummus imperans, nam is penes quem hujus causfae cognitio esfet, idem principi fuperior esfet. Ponitur igitur, principem tantum acturum *causfa bene cognita ac perfpecta*, et illa femper de iis qui fummum exercent imperium praefumi debent. Id vero fi dixerimus tunc illa verba tantum admonitionem habere videntur? et hoc verius est, et fi princeps ex opinione fubditorum non bene causfam perfpexisfet tamen obtemperandum foret; tales vero claufulae percommodae iis funt, quibus animus est, turbare rempublicam, et populum malitiofa verborum interpretatione excitare ad rebellionem, quapropter perniciofisfimae ideoque femper rejiciendae videntur.

(11) Verba funt: *doende furcheren ende ophouden de Exercitie van alle andere Religien den Evangelio contrarierende.* Illa igitur inter hanc et fuperiorem imperii oblationem intererat differentia, quod cultus romano catholicus non peculiariter nominaretur, et cognitio cultus divini qui evangelio contrarius esfet principi esfet attributa.

et edictis eorumque confervatione fidem praeftituros et obfervantiam, fideles obedientes et fubjectos ipfi futuros. Princeps vicisfim juraret comitatus Hollandiae Zeelandiaeque eorum jura, privilegia immunitates moremque antiquum laudabili confuetudine ftabilitum, fefe esfe defenfurum contra quoscunque hoftes et adverfarios. Opem et confilium deposcere, principi integrum esfet, ab Ordinum *deputatis* civitatumque. Si qua in illo foedere et unione vel oblatione imperii obfcuritas vel dubitatio reperiretur, ejus interpretatio penes principem esfet et foederatos ita ut major numerus fuffragiorum legem conftitueret.

Illud inftrumentum fubfcriptum invenitur a principe ac deinceps a quinque nobilibus et novem civitatibus Hollandiae meridionalis, nomine feptem civitatum Hollandiae feptentrionalis a tribus *deputatis*, et a quatuor Zeelandiae civitatibus.

Multum disputatum est de temporis termino intra quem illa unio et imperii oblatio circumfcripta fuerit. WAALWYKIUS teste KLUITIO (12) existimat potestatem circa res militares principi esfe tributam tamdiu donec pax foret redintegrata; politiam et reipublicae adminiftrationem nullo temporis termino esfe definitam. KLUITIUS (13) ipfe hanc quaes- [tio-

(12) Op. cit. *L.* I. *p.* 119.
(13) *l. c.*

tionem non dirimit nec quicquam de ea ſtatuit. Mihi tamen non ita videtur difficilis, modo memores ſimus aeternae juris regulae, nemini licitum esſe ſtatuere de re aliena. Ordines ſtatuerunt de ſummo imperio, de quo recte ſtatuebant, postquam GULIELMUS iis tradidisſet potestatem conficiendi legem de moderamine comitatus, (14) quoniam ipſe hanc potestatem non ſatis commode poterat exercere. Ordines igitur agebant e jure quod princeps in ipſos transtulisſet, ſive utebantur et fruebantur jure GULIELMI; et haec quidem de hac quaestione dicta ſunto, inſtat jam ut videamus, quodnam fuerit GULIELMI jus in mutanda regiminis forma.

Vidimus GULIELMUM ſi jura PHILIPPI conſideremus, esſe comitis praefectum, ſi porro reputamus PHILIPPUM non amplius fuisſe idoneum qui haec jura exerceret, GULIELMUM fuisſe PHILIPPI vicarium. Illam harum regionum procurationem, GULIELMO mandatam, Ordines Hollandiae jam agnoverant; animadvertendum autem GULIELMUM non esſe regni vicarium ex Ordinum ſuffragatione, ſed e jure primi magiſtratus comitis ejus qui ipſe non erat ad regnandum idoneus, et qui, antequam idoneus esſe deſiisſet, vicarium non deſignaverat; quapropter et vicarius Hollandiae ſine Ordinum Hollandiae agnitio-

(14) Vid. *Reſ. v. Holl.* 21. Maji 1575. *fol.* 311. et *Disputatio noſtra. p.* 98.

tione fuisset, et Zeelandiae vicarius erat, quamquam Ordines hujus provinciae eum solenni modo vicarium non nominaverant.

Regnabat igitur tamquam Hollandiae et Zeelandiae vicarius, atque hoc titulo statuere poterat de regiminis forma horum comitatuum; sed potestas illa non in perpetuum principi data erat; cessare namque debebat ut primum PHILIPPUS ad bonum frugem esset rediturus, ideoque GULIELMUS tantum ad tempus (*provisorie* hodieque dictitarent) id est, ad illud usque tempus cum PHILIPPUS fortasse cum hisce provinciis in gratiam rediturus esset; aut, si omnem reconciliationem prorsus abnueret, in illum usque diem cum solenniter imperium ipsi fuerit detractum sive ut vulgo dicitur cum fuerit abjuratus.

Jus illud statuendi de regiminis forma GULIELMUS commiserat Ordinibus, sed nemo plus juris in alterum transferre potest, quam ipse habet, ideoque et jus Ordinum statuendi de forma regiminis tantum valebat ad illud tempus cujus intra terminos ipsius GULIELMI jus erat circumscriptum, id est donec PHILIPPUS vel in gratiam rediisset cum provinciis, vel abjuratus foret. Jam vero quibus limitibus jus statuendi seu disponendi circumscriptum est, iisdem et dispositio circumscripta est, quare Ordines nullum nisi quae certis temporis limitibus esset definita, GULIELMO tribuere potestatem vel potuerunt, vel tribuere voluisse censendi sunt. Sed

con-

contra ab eo inde tempore quo illa regiminis forma cesſaret, ſua cuique jura erant reſtituenda. Dicebatur GULIELMUS ſummus imperans et ſupremus rector (*Souverain en Overhooft*). Quid ſignificant illa verba? Summus imperans (*Souverain*) est qui ſummum exercet imperium, et plane convenit cum ſupremi rectoris titulo; ſed ſummus erat imperans ſine ulla harum regionum jurium ac privilegiorum imminutione. Ita quoque PHILIPPUS erat ſummus imperans, et comes ſummum imperandi jus habebat, quamquam legitime data privilegia tueri omnino debebat. Sed haec clauſula non imminuebat ſummum illud jus (15). GULIELMUS igitur iisdem juribus praeditus erat quae PHILIPPO a patre tradita erant, ſed iis tantum fruebatur donec PHILIPPUS iterum ipſe vel comitatum moderari posſet, vel abjuraretur. Summus igitur imperans, et ſupremus civitatis rector ad tempus (*ad interim*) conſtitutus, revera erat regni vicarius. Quod attinet ad modum, quo GULIELMUS jura haec exercebat, nullam agnosco differentiam inter vicarium, ſummum imperantem et ſupremum civitatis rectorem, cum illae voces quantum ad GULIELMUM plane ſint ſynonima.

Praeter tributa concedenda aut deneganda GULIELMUS agere poterat ſine Ordinum conſenſu aut conſilio, excepta tantummodo nominatione aut misſione quorundam ma-

(15) Vid. Conſ. Amicisſ. J. RAU, in *Disſ. laud. p.* 54.

magistratuum. Inde promissio facta anno 1572, nihil actum iri sine Ordinum consilio, inprimis labefactata est; cujus quidem promissionis ope semper GULIELMUM, in exercendis juribus suis, frustrari solebant, quaeque magnum incommodum civitati attulerat! Quamquam sane non laudaremus GULIELMUM si subditos non audivisset de eorum commodis, aut si nullius sententia prius audita, pro arbitrio de iis statuisset, attamen valde nobis placet promissionem illam consulendi subditos de commodis eorum esse coangustatam; illi enim auctoritate quam nacti erant mire abutebantur et quam potestatem a GULIELMI principis benevolentia accepissent ad deprimendum eum adhibebant, jura ejus violantes et arma quae GULIELMUS iis dedisset, statim contra ipsum convertentes.

Una etiamnum quaestio movenda erit, nimirum quomodo ille actus intelligendus sit atque interpretandus? Jus interpretandi competebat principi et Ordinibus sed ita ut in omni hoc interpretationis negotio certis adstricti essent regulis. Unione illa et imperii oblatione constituebatur jus; nullum autem agnoscimus jus, nisi quod sit constans, perpetuum et immutabile ita ut numquam e temporibus, locis et personis sed tantum e verbis pacti seu instrumenti, aut si verba non satis perspicua sint, e momentis (*motivis*) et e fine quem contrahentes

si-

ſibi propoſuisſent, interpretandum ſit. (16) Itaque prudentis est, in omnibus legibus, contractibus, pactis addere momenta (*motiva*) et finem; idque in hoc inſtrumento, de quo nunc quaerimus, minime neglectum invenimus. Momentum ſeu causſa quae movens fuit: quod respublicae corporaque ita ſecum ipſa conſpirare et indiviſa manere crescere et confirmari volebant, quod quidem propoſitum in multorum regimine obtineri non potest. Finis erat: ut esſet aliquis ſummus imperans ſupremusque civitatis rector. Momentum igitur ſeu causſa movens et finis hactenus conveniebant ut imperium non apud multos ſed penes unum esſet. Ita ut princeps atque Ordines oblationem imperii ſi obſcura vel dubia esſet, neque dubium e literis ſeu verbis inſtrumenti tolli posſet, interpretari debuerint *in favorem* UNIUS qui civitatis rector esſet, atqui is *unus* erat, GULIELMUS princeps ARAUSIACUS.

Illa regiminis forma duravit usque ad GULIELMI necem. Mira fortasſe nonnemini noſtra haec opinio accidet; at mira ſit, non enim idcirco a vero aliena, diligenter rem perquirentibus videbi·

(16) Vid. Conſ. Amicisſ. W. L. F. C. VAN RAPPARD, in *Disſ. Inaug. de Auct. et uſu discept. et Orat. cet. p.* 20. *et* 21. „ Ratio legis in genere est causſa ex qua lex, uti „ ſcripta est, tanquam ſequela exſiſtit. Sub vi rationis legis intel„ ligendus finis, quem ſibi propoſuit legislator quadam lege ferenda. „ Si haec ſignificatio rationi legis tribuatur, magna ejus aucto„ ritas in legibus interpretandis videtur. "

bitur. Sed jam videor mihi audire eorum voces qui, quaenam porro mea de *pace Gandavenſi* quaenam de *Unione Trajectina* ſit ſententia, requirant. Num de MATTHIA AUSTRIACO num de ALENCONIO taceam? Ego vero minime de his ſilebo, ſed hactenus ſcilicet de ſingulis agam, quoad hujus disſertationis propoſitum peculiarem de iis mentionem poſtulare videtur; probare autem conabor, per illa nihil in forma regiminis comitatus Hollandiae Zeelandiaeque, vel immutatum esſe vel mutari potuisſe.

Venio ad pacem gandavenſem, (17) pactam ad *d.* 8 *Novembr.* 1576, cujus in introductione invenimus, regiones illas jam per decem annos continuos bellum gesſisſe ob intolerabilem ſeveritate adminiſtrationem Hispanorum, petulantiam et licentiam qua in paupertatem et maximam miſeriam et inopiam fuerant redactae. Quibus malis ut aliquod tandem afferretur remedium, princeps ARAUSIACUS Ordines Hollandiae Zeelandiaeque legatos Bredam miſerant, qui cum legatis regiis hac de re agerent. Eorum autem conatus vani fuerant, non obſtante PHILIPPI benevolentia, et magis magisque perverſa et malevola Hiſpanorum conſilia eo ſpectabant, ut populum in ſervitutem plane detruderent ingentibus ſpoliationibus et incendiis; ita ut necesſarium esſet cer-

(17) Invenitur in *Groot Placaetboek*, *T.* I. *p.* 2.

certum iniri foedus et pactum pangi cujus is finis esſet, ut Hiſpani ex hisce regionibus expellerentur.

Res est vulgo notisſima, a parte illarum provinciarum, quae postea hispanicae dictae ſunt, ſeditionem bruxellenſem, concilii ſtatus incluſionem et petitionem incolarum Flandriae qua GULIELMI opem implorabant, huic pacificationi originem dedisſe; furorem vero hispanicum Trajecti ad Moſam et Antverpiae cauſam fuisſe quo citius pangeretur. (18)

Ex illa igitur introductione jam videmus, finem hujus pacificationis fuisſe, pacem et foedus unionis ad expellendos Hispanos; quare illa pacificatio gandavenſis vocari posſit pactum conventum pacis et foederis contra hoſtem communem; id quod et illi, qui ſubſcripſerunt, non recuſarunt fateri, promittentes illud pactum conventum et pacem ſeſe religiosisſime esſe obſervaturos. Quomodo inde mutatio vel inſtitutio formae regiminis potuerit derivari, equidem non intelligo; atque id quidem eo minus, quoniam qui foedus illud legit, inveniet omnes articulos agere de pace, et quomodo pax ſtabilienda erat. Profecto ſtatuitur quoque de ſtatu provinciarum reſpectu ceterarum; ſed illi articuli non mutant regiminis Hollandiae Zeelandiaeque formam, quin potius eam confirmant. Etenim articulo ſexto ſcriptum est, principem manſurum praefectum ge-

(18) Vid. WAGENAAR *L.* VII. *p.* 115.

generalem et regium Hollandiae, Zeelandiae, op, et infulae Bomelienfis ceterorumque locorum foederatorum, ut ibi imperaret, quemadmodum cum maxime fecerit, cum iisdem *officiariis*, *juftitiariis* vel magiftratibus, nulla innovatione vel mutatione facta, nifi e voluntate vel confenfu principis, in iis urbibus locisque quae nunc ab ipfo teneantur, donec Ordines generales post expulfos Hispanos aliter ftatuerint. (19)

Quid difertius dici potuisfet? Principi fua manet potestas, qualem tempore initae pacificationis habuit, neque in hac quidem parte quicquam vel mutari vel innovari potuisfe reperimus, nifi volente vel confentiente principe. Et me quidem judice ille articulus non mutat regiminis formam, fed eam confervat et confirmat, cum omnes mutationes vetet ni-

(19) Verba funt: *Dat myn Heere de Prince* fal blyven *Admirael generael van der zee ende Stadthouder vanfyne Majeft. van Hollandt ende Zeelandt, Bommel ende andere geasfocieerde plaetfen*, om in alles te ghebieden *foo* defelve tegenwoordelick doet, *met defelve Officieren, Jufticieren ofte Majeftraten*, fonder eenige veranderinge ofte Innovatie, *ten fy by* fyn confent ende wille, *ende dat over de Steden en de Plaetfen, die Syne Excellentie nu ter tyt is houdende: tot dat by de generale Staten naer het vertreck van den Spaengiaerden anders geordonneert zy.* WAGENARIUS de iis illa habet: *Oranje* ZY *Zee Admirael en Stadhouder over Holland, Zeeland, Bommel* enz. *tot dat de algemeene Staaten, hierop, nader orde ftellen.* Quis ex iis argumentum hujus articuli discere posfet? an WAGENARIUS diftinguere nescivit quid discriminis inter *esfe* et *manere*, interfit?

nisi quae consentiente GULIELMO fiant. Et quandoquidem tunc temporis plenam potestatem summumque exerceret imperium e jure quod ipsi tributum erat unione anni 1576, nullus superesse dubitandi locus potest, quin idem vinculum inter GULIELMUM summum imperantem et supremum civitatis rectorem, et Ordines subjectos subditosque qui obedientiam ei praestare debebant, remanserit, quod pactum erat oblatione imperii.

Articulus 8. in hanc sententiam sciptus est: eo tempore nihil edici, decerni, aut executioni mandari in regionibus et civitatibus, sub principis ditione positis, nisi quae approbata erunt et decreta a principe, concilio, magistratibus aut *officiariis*, idque sic tamen ut nullum inde in posterum detrimentum capiat jurisdictio supremi concilii regii (20). Et hic quidem articulus sane non evertit unionem, neque oblationem imperii; nam in regionibus quibus praeësset GULIELMUS nullus valiturus erat actus nisi consensu ejus comprobatus.

Sed

(20) Verba sunt: *Ende en sullen middeler tyd geene Placaten, Mandamenten, Provisien, noch Exploiten plaetse hebben in den voorschreven Landen ende Steden, by den voorschreven Heeren Prince* GHEREGIERT, *dan die geene by Syne Excellentie ende by den Rade, Majestraten ende Officiers aldaer gheapprobeert, ende gedecerneert, sonder prejuditie voor den toekomenden tyden van de resoorte van den grooten Rade van Syne Majesteyt.* WAGENARIUS illum articulum plane praetermisit; an optima fide et summa diligentia illum praetermiserit?

Sed non modo pacificatio gandavensis unionem confirmat, verum modus etiam quo contracta initaque est pacificatio, probat illam unionem oblationemque imperii revera exsecutioni mandandam censeri. Quod si quis dubitet, ei tribus hisce argumentis, sententiae nostrae veritatem demonstrare annitemur.

1°. Decreta Hollandiae non agunt de instruenda pacificatione gandavensi; si Ordines illam adjuvassent aut deliberatione ad eam constituendam operam dedissent, deliberationes istae multa volumina implevissent; unde recte mihi videor hanc elicere consecutionem: Ordines de constituenda pacificatione gandavensi plane non egisse, quia hac de re deliberatum nihil invenitur.

Non equidem ignoro in decretis Hollandiae multa non inveniri documenta quamvis maximi sint momenti, qua quidem parte non uno defectu laborant. Sed in ea de qua nunc loquimur caussa deliberationes et narrationes ad satietatem usque futurae fuissent; nam cum de aliis, minoris etiam momenti rebus innumerae fere inveniuntur, de pacificatione gandavensi si deliberatum fuisset, credibile non est literis nihil fuisse mandatum. Ordines illam igitur non constituerunt neque participes illius fuerunt dum pararetur, ita ut princeps solus eam rem et incipere et perficere debuerit; et cum id tantum potuerit eo quod summus imperans erat, pro-

ut

ut ſane pactorum ineundorum jus ad ſummi imperii vim naturamque pertinet, mihi videntur Ordines illo tempore GULIELMI juribus non contradixisſe, et cum iis non contradixerint certe legitime ac vere principi competierunt.

2°. Quamvis Ordines praeparandae pacificationis participes non fuisſent tamen ſubſcripſerunt illam et approbaverunt (21). Subſignatio (ſive ſigilli appoſitio) est approbatio inſtrumenti quod ſubſignatur, pacificationis inſtrumentum ſigillis munitum ferebat unionis et imperii oblationis conſervationem; ita ut Ordines, cum ſigillum pacificationi apponerent, eo ipſo unionem et imperii oblationem confirmasſe ſeque illam conſervaturos promiſisſe cenſendi ſint.

3°. Pacificatio ſubſcripta est a conſilio regio et ad *d*. 7. *Aprilis* 1577 a rege confirmata, cum edictum perpetuum confirmaret (22). Confirmatio aequiparatur ſubſcriptioni, et ſubſcriptio affirmationi ejus quod ſubſcribitur, atque hinc ſequitur apud PHILIPPUM regii praefecti inſtar tum temporis GULIELMUM habuisſe, immo ſummi eum imperantis et ſupremi civitatis ad tempus rectoris loco a rege fuisſe conſideratum; ita ut testibus PHILIPPO et Ordinibus Hollandiae Zeelandiaeque imperium comitis non

(21) Vid. *Reſ. v. Holl.* 26. Novbr. 1576. *fol.* 194.
(22) Vid. VAN DER VYNCKT *Op. Cit. T.* I. *p.* 468.

non cessaverit annó 1572, cum ex illo imperio omnia jura nascerentur.

Foedus illud non diu stetit; JOANNES enim AUSTRIACUS gubernator regius (*landvoogd*) postulatis, quae ad privilegia pertinerent, satisfecit; unde factum est, ut provinciae postea hispanicae dictae, pacarentur. Sed cum requireretur ab altera parte, ut se religioni romano-catholicae submitterent, nostratibus eadem remansit belli gerendi caussa, neque igitur se submiserunt. Per paucos menses valuit pacificatio gandavensis, licet diutius manserit, ac tandem unioni ultrajectinae dederit originem, ut suo loco videbimus; sed nunc ordo, quem nobis proposuimus, exigit ut transeamus ad archiducem MATTHIAM ab Ordinibus generalibus omnibus unum provinciis *gubernatoris generalis* titulo ac dignitate (*Gouverneur Generaal*) praepositum, ubi jam nunc probaturi sumus nullam inde in comitatu nostro mutationem exstitisse. Cum porro ducis ALENCONII, qui libertatis batavae tutor (*Beschermheer der Nederlandsche Vryheid*) dictus est mense Augusti 1578, creatio fere consimilis sit MATTHIAE gubernatoris generalis electioni, brevitatis caussa de utroque simul sumus acturi.

Ordines generales, qui Bruxellis convenerant, MATTHIAM gubernatorem salutarunt. Quanam in ceteris provinciis potestate praeditus fuerit, non satis intelligo; adeo enim est obscura in maximi etiam momenti rebus illa quae ipsi data est praescriptio

(*in-*

(*instructio*) ut explicare eam, me non potuisse, ingenue fatear (23). Neque non probabile videtur illam *instructionem* de industria ita obscure fuisse compositam; praeter enim regnandi cupiditatem nobilium Brabantiae et Flandriae, quae in MATTHIAE electione manifesta est, illi articuli quibus de Ordinum potestate agitur, satis sunt perspicui; cum ceteri ita sint obscuri ut non appareat quis in civitate supremus rector fuisset habendus. Verum quicquid ejus sit, illud certissimum est, MATTHIAE creationem non derogare potestati quam GULIELMUS in Hollandia et Zeelandia exercebat, cum pacificationem gandavensem observare jurejurando obstringeretur (24); ita ut ejus potestas circa Hollandiam Zeelandiamque non major esset quam quatenus illae provinciae cum ceteris essent conjunctae: et illa conjunctio tantum spectabat Hispanorum hisce e regionibus expulsionem (25). Est igitur ut

(23) Invenitur haec instructio apud BOR. *L.* 12. *fol.* 7. ut intelligantur quae dixi inspiceatur *Art.* 5. Cujus verba sunt: *Ende alle saecken die ghestelt sullen zyn ter deliberatie van den voorschreven Rade, sullen ghesloten gheresolveert ende ghedecreteert worden, by meesten ghevolghe van opinien ofte stemmen van denselven Rade, sonder dat die voorzeyde Gouverneur hem sal moghen behelpen met eenighen achter ofte secreten Rade.*

(24) Vid. *Introd. hujus instructionis* et *Art.* 16.

(25) Vid. *Introd. pacis gandav.* sic v. g. Ordinibus generalibus nullum jus competebat directe de his provinciis statuendi aut edicendi; tantum executionem et promulgationem decretorum

ut diximus: pacificatio gandavenſis tantum fuit foedus ad depellendos hostes communes, fuit foedus inter diverſas gentes; quapropter tantum ſpectari debet tamquam foedus juris gentium, non autem juris publici (26): ita ut Ordinibus generalibus nullum competierit jus MATTHIAE aliquam ampliorem potestatem concedendi, ob regulam ſatis cognitam et ſaepe neglectam, neminem plus juris in alterum transferre poſſe quam ipſe habeat: ſed praeterea MATTHIAE fides jurejurando obſtricta erat ad obſervandam pacem gandavenſem, illud foedus confirmabat unionem Hollandiam inter et Zeelandiam, et ſummi imperii harum provinciarum GULIELMO factam oblationem, ita ut MATTHIAE fides aeque obſtricta fuerit ad GULIELMI ſummi imperantis jura obſervanda.

Quae tunc temporis cum Gallia atque Anglia acta fu-

hostium expulſionem ſpectantium a principe ſummo imperante exigere poterant. Exemplum lectu dignisſimum invenitur in decreto Hollandiae 4. Januarii 1577. *fol.* 2.

(26) Mira mihi ſemper viſa est illa juris *publici* et *gentium* confuſio, quae vulgo invenitur; jus publicum conſtituit vinculum inter principem civitatis rectorem et ſubditos; jus gentium conſtituit vinculum inter gentes; ita ut illa jura plane diverſa et facile a ſe invicem distinguenda vincula comprehendant. Juris publici ſtudium pertinet ad gravisſimas juris partes et praecipue prodest ad ſtabiliendum ſtatum pacis internae. Ubi vero negligitur, anſam praebet violationi jurium imperantis, bellisque civilibus hinc oriundis. Argumento ſint abſurdae illae de juribus hominum conſtitutiones primis Gallicae ac Hollandicae converſionis temporibus editae, ne obliviscamur quinam earum fuerint effectus!

fuerunt, fatis cognita funt, ita ut ea ulterius explicare necesfe non fit, fufficiat tantum dixisfe, illa regna in patriam noftram oculos conjicere dedignata esfe, eo ut videtur propofito, ut nos defenderent cum ab Hifpanis liberati esfemus.

Anno 1578 tutor libertatis batavae proclamatus est dux ALENCONIUS. Eadem fere argumenta, quae fupra adtulimus de hac quoque ALENCONII creatione valent. Hic autem dixisfe fufficiat articulum 8. (27) ftatuisfe ut internae politiae et reipublicae adminiftrationi fefe non immifceret (28).

His jam expeditis tranfeamus ad foedus unionis ultrajectinae (29) quod, falfo quidem dicitur unica patriae noftrae lex fundamentalis, cum patriae noftrae numquam lex fundamentalis fuerit; est enim foedus inter gentes initum, five pactum juris gentium. Provinciae foederatae numquam conftituerunt patriam civium communem; fingulae provinciae

erant

(27) Vid. BOR. *L.* XII. *fol.* 48.

(28) *Art.* 10. Ordines tamen ei promittunt, fi postea alium electuri esfent principem ipfum ceteris omnibus a fe antepofitum iri. Quaeritur an liceat populo e principiis juris publici pro voluntate ac lubitu alium eligere principem?

(29) Nemo tamen hic exfpectet plenam hujus foederis expofitionem, neque meam de illo fententiam; uti jam dixi, haec disquifitio non pertinet ad penfum a me fusceptum; de illo igitur tantum ago ut probem foedus illud non pertinere ad praefentem quaestionem. Multa, ut mihi certe videtur, de illo foedere dicenda forent vulgo non admodum cognita, e quibus plane labefactarentur quae temere docuerunt fcriptores nostri.

erant ſuis quaeque incolis patria; ſic Hollandorum patria fuit comitatus Hollandiae, Gelrorum ducatus Gelriae, et ſic porro; atque hinc patet foedus illud minime esſe patriae noſtrae (quae tunc erat) legem fundamentalem quamquam regulas quasdam continebat juris publici, quae in omnibus pariter esſent obſervandae provinciis communibusque viribus tuendae (30).

In introductione hujus foederis dicitur, Hispanos et JOANNEM AUSTRIACUM inde a tempore pacificationis provincias belgicas atque batavas ſubigendi animum habuisſe, easque in ſervitutem voluisſe redigere, quam ob causſam provincias a ſe invicem disjungere ſtuduerunt, et unionem pacificatione ſtabilitam evertere penitus atque tollere. Huic igitur propoſito ut obviam iretur nonnullae ſeſe denuo conjunxerant provinciae, ut pacificationem firmarent, ulterius discidium praeverterent, et ſe invicem contra omnia hoſtium conſilia et vim defenderent.

Contrahentes erant Hollandia, Zeelandia, Dioceſis Ultrajectina, Friſia; deinceps accesſerunt aliae provinciae, praefecti, praecipui incolae, praediorum do-

(30) Neque etiam propterea lex fundamentalis erat. Sic v. g. pacta Viennae et Londini quaedam ſtatuerunt quae in nostra lege fundamentali inveniri deberent; vide *Rapport van 't ontwerp v. Grondwet etc. pag.* 1. Sed propterea neque Anglia neque Auſtria neque Rusſia neque Borusſia patria noſtra est.

domini, ceteri quibus certe de imperii forma ſtatuendi potestas non erat.

Praeterea finis foederis non fuit abjuratio; confirmabatur enim pax gandavenſis, quae PHILIPPI comitis jura agnoscebat, quod foedus cum agnosceret PHILIPPI jura, certe novam regiminis formam inducere non poterat.

Illam etiam doctrinam profeſſi ſunt Ordines Hollandiae anno 1663, cum dicerent in unione ultrajectina PHILIPPUM comitem agnitum fuisſe (31): Friſii cum cives armati anno 1580 fidem ſuam obſtringerent ſe regi principi nativo ac domino ſuo fideles fore (32): GULIELMUS I. cum menſe julii 1579 ageret ex potestate ſibi a comite anno 1559 data. (33). Argumentum igitur hujus foederis, contrahentium perſonae, finis, hiſtoria, omnia denique probant foedus ultrajectinum nihil GULIELMI juribus aut detraxisſe aut detrahere potuisſe.

Sed quaeritur quis fuerit hujus foederis finis? Verbo dicam: ut in defenſione contra hostem unius tantum provinciae formam et quaſi imaginem referrent, unum, ut vulgo dicunt, corpus morale, ut una tantum iis inesſet mens, quo facilius et fortius hostibus obſiſterent (34).

Hol-

(31) Vid. *Reſ. v. Holl.* 27. Junii 1663. *fol.* 685.

(32) Vid. SCHWARTZENBURG *Charterb. v. Frieſl.* IV. 187.

(33) Vid. *Reſ. v. Holl.* 25. Julii 1579. *fol.* 173.

(34) Vid. *Art.* 1. *hujus foederis.* Inde etiam patet quam ab-

Hollandia illi foederi ſeſe adſcripſit ex voluntate (*op 't believen van den Stadhouder*) principis (35); ſive illa verba ſignificaverint, principem id velle, ſive illum id approbasſe, certe illa verba id liquido probant, Hollandiam ſe ipſam idoneam non exiſtimasſe quae ſine auctoritate principis, efficaciter contrahere posſet obligationem.

Denique: Ordines declaravere ad *d.* 25 *Febr.* 1579 (post foedus igitur ultrajectinum jam initum) non licere tempore belli mutare comitatus moderamen quod principi uni competeret. (36) Equidem profecto non intelligo argumenta quae nonnulli ex illo foedere elicere voluerunt GULIELMI tempore, quibus probare vellent ſummum imperium GULIELMO neque delatum esſe neque deferendum, deinde ut legitimam praefectorum poteſtatem impugnarent. Ut mea quidem fert opinio, foedus illud in partes vo-

abſurdum fuerit, post abjuratum PHILIPPUM, illud foedus haberi inſtar vinculi inter provincias foederatas. Tempore liberae reipublicae non profuit ſed obfuit, non ſaluti fuit civitati ſed damno, certe esſe potuit; cum univerſis tum ſingulis quibusque provinciis. Quo ſenſu optime dixit amplisſ. SLINGELANDIUS, *Conc. van een voorr. p.* 9. *De Unie is geen Unie maar een louter chaos, ja het bederff van een geunieerd ligchaam.*

(35) Vid. KLUIT. opere citato *Tom.* I. *p.* 174.

(36) Vid. *Reſ. v. Holl.* 25. Febr. 1579. *fol.* 27. verba ſunt: *De Staten wederom in communicatie geleyt hebbende de poincten van het Gouvernement van zijn Exc. hebben om diverſche reſpecten verklaert, dat geduyrende den jegenwoordigen Oorlogh, daerin geene veranderingh mach geleden worden.*

vocari nequit; ſed nec ſi contra ſentientium opinio vel maxime admitteretur quod, age, paucis videamus. Sic enim mihi rationes hic videntur ineundae: Foedus ultrajectinum praefectos adesſe minime dubitat (vid. *introd. Art.* 9, 16, 21 et 24); foedus quod attinet ad praefectos novi nihil ſtatuit; qui novi nihil ſtatuit non antiquat; ergo foedus ultrajectinum non privavit praefectos illa potestate, qua ſemper uſi ſunt. Praefecti exercebant comitum imperium; ergo foedus ultrajectinum voluit praefectos uſuros porro etiam comitum imperio; quod ſi verum est, conſequens ſit omnibus temporibus, quibus nullus in republica fuit praefectus, aut quibus praefecti potestas circumſcripta fuit, moderamen reipublicae fuisſe illegitimum. Sic etiam admisſa contra ſentientium opinione ad contrariam pervenimus, quam ipſi illi defenſitant, ſententiam. Iterum admittamus foedus illud ſtatuisſe formam regiminis uniuscujusque provinciae. Sed ecce, ſummum imperium ſi fuit penes provincias (ad ſummum autem imperium pertinet jus mutandi regiminis formam) foedus ultrajectinum illud conſtituisſe nequit. Sic duae theſes *ſummum imperium esſe penes provincias*, et, *foedus ultrajectinum fuisſe legem fundamentalem cujusque provinciae*, plane et aperta veluti fronte inter ſeſe pugnant; ut altera admisſa alteram plane tollat. Ariſtocraticae tamen factionis propugnatores utramque nihilo minus ſi-

mul

mul defensitarunt; et prout ipsorum proposito convenientissimum videretur, nunc illa, nunc hac, in rem suam utebantur. (37) Vel si rem suo nomine appellare velis, maxime abutebantur.

Quandoquidem praecipua argumenta quae contra meam de unione Hollandiam inter et Zeelandiam, cum oblatione imperii GULIELMO principi facta, sententiam moveri possint, solvere conatus sim, huic capiti finem imponere possim, nisi etiam paucula quaedam monenda viderentur, de dispositione in conventibus observanda, ab Ordinibus Hollandiae constituta, et de *satisfactionibus* e pace gandavensi ortis.

Nullum tempus praestitutum nec locus certus fuisse videtur, quando et ubi convenirent Ordines. Praescriptum anni 1574 (38) non diligenter fuit observatum. Etenim post tres ferme annos nonnulli electi fuerunt, qui illud corrigerent, (39) et post quadragesimum diem qui illud recognoscerent (40), quae recognitio, (vulgo *resumtio*) ad emendandum illud praescriptum, valde videtur fuisse necessaria, et satis ostendit quam illud Ordines cognoverint parum. Interea praesertim necesse fuit de

(37) *Leur feinte justice,*
N'est dans ces coeurs hautains que la soif de regner.
VOLTAIRE.

(38) Vid. *Diss. p.* 60. *et seq.* quae etiam saepius, et hoc quoque loco, quamquam non expresse repetita valent.

(39) Vid. *Res. v. Holl.* 27. Junii 1577. *fol.* 119.

(40) Vid. *Res. v. Holl.* 8. August. 1577. *fol.* 165.

de hac re ſtatuere, ut finis daretur litibus haud paucis, de levisſimi quidem momenti quaestionibus, at quae tamen non aliter in disceptationem vocabantur, ac ſi totius reipublicae ſalus periclitaretur; veluti quis ſummus quis imus ſederet in coetu Ordinum, quis ſuffragium primus ferret, et quae ſunt generis ejusdem. Totum igitur illud de Ordinum conventu ordinando praeſcriptum ad liquidum erat perducendum, idque ad *d.* 19. *Febr.* 1579 compoſitum est et ſancitum. (41)

Alia eaque jucundior est quaeſtio: quo jure Ordines convenirent; cum pars Hollandiae ſeptentrionalis contenderet, ſe non a civitatibus tantum ſed ab univerſo quaſi corpore hujus civitatis esſe misſos (42); cui ſententiae obloquebantur alii, ita ut ad *d.* 22. *Augusti* 1578 nonnulli committerentur, qui quaererent de juribus civitatum in conſesſu Ordinum; ſi fieri posſet operam darent ut inter eos hac de re conveniret, et ſi fieri non posſet rem ad Ordines deferrent, qui litem principi aut conſilio provinciali ſubmitterent eo quem utilisſimum existimarent modo. (43)

Sed antequam pergamus, pauca quaedam praemonenda videntur:

(41) Vid. *Reſ. v. Holl.* 19. Febr. 1579. *fol.* 23.
(42) Vid. *Reſ. v. Holl.* 10. Octobr. 1576. *fol.* 169.
(43) Vid. *Reſ. v. Holl.* 22. August. 1578. *fol.* 2.

1. Mandatum illud et confusio quae ei causam praebuit, id sane exploratissimum efficiunt, Ordinum coetus nullius fere ad civitatis salutem fuisse momenti. Quodsi enim aliquod ad salutem publicam momentum habuissent, praescripto anni 1574. obsecuti fuissent Ordines, neque illud plane neglexissent.

2. Quaestio quis priorem occuparet sedem, aut suffragium quis primus emitteret, probat, coetum Ordinum fuisse institutum serioris aetatis. Fieri potest, coetum Ordinum diu ante exstitisse ac deliberasse, quam lex vel praescriptum scripto consignatum de ordine sedendi et suffragia edendi inveniri possit, sed, nemo ignorat temporis diuturnitatem in hujusmodi rebus introducere jus consuetudinarium; quod lites dirimit.

Jam si Ordinum potestas a longo inde tempore exstitisset, (id quod postea fuit commentum) tunc certe aliquis litigantium jus suum ex consuetudinario jure probare conatus fuisset, cujusmodi tamen conatus nec vola nec vestigium reperitur. Quamobrem, quum nullum in coetibus Ordinum Hollandiae exstaret jus consuetudinarium, non videntur hi coetus admodum fuisse antiqui. (44)

3. Quaestio de jure quo convenissent ipsa per se probat, Ordines non convenisse e lege aut jure cer-

(44) Vid. Quae hac de re disseruimus in introductione.

certo; nam si eorum mandantes (*committentes*) egissent e lege aut jure certo, procul dubio instrumenta aut documenta inventa fuissent, aut certe superiorum temporum memoria quaedam apud posteros mansisset, quibus hae lites potuissent dirimi. Cum enim sine Ordinibus regnaverint comites, jus repraesentationis, (ut vulgo appellari solet) tunc temporis fuisset privilegium, et sic Ordinum origo dubia non esset; mihi idcirco jus legatos cum mandato mittendi, (*jus deputatos committendi*) videtur sensim sensimque consuetudine introductum; illa consuetudo constituebat jus moribus comprobatum quapropter varium esse poterat et incertum. Jus eligendi eos, qui Ordinum coetui interessent, procul dubio origine competebat comiti; nobiles autem et civitates sibi illud videntur arrogasse et usurpatione tenuisse: unde factum est, ut in singulis civitatibus diversus modus eligendi usurpatione introduci, et consuetudine comprobari potuerit.

4. Ob submissionem principi et curiae Hollandiae factam mandatum illud alicujus videtur esse momenti: agnoscunt enim apud Hollandiae curiam conveniri posse, ibi ut caussam defenderent, latamque sententiam audirent. Sed quid attinet per consecutiones operose veritatem persequi? Cum apertis rerum testimoniis innotescat. Ad *d.* 17. *Febr.* 1579 Briellensium civitati declarant Ordines, oportere deputatos insulae Voornae in jus ire, ibi ut caussam suam de-

defendant (45). In hunc finem Ordines proprium (*specialem*) habuerunt causfarum patronum et procuratorem, quibus incumbebat officium, jura ac privilegia Hollandiae in curia defendere. (46)

Ordines igitur tunc temporis non habebant illam auctoritatem quam postea nacti funt; ideoque judicet nunc aequus rerum existimator, de illis majorum moribus, ad quos deinceps coeptum est provocari. Sed de his jam fatis fuperque disferuimus, nunc quae hoc praefcripto (*ordonnancie*) acta fuerint notata digna videamus.

1. Ordines diferte declaraverunt et decreverunt, fe femper Hagae Comitum coetus habituros, nifi princeps aliter juberet (47); agnoscunt igitur principis potestatem majorem.

2. Ordines nominaverunt duodecim civitates, quae mandatarios femper mittere posfent, cum ceterae peculiaribus tantum in causfis hoc jure uterentur (48); at-

(45) Vid. *Ref. v. Holl.* 17. Febr. 1579. *fol.* 21.

(46) Tunc temporis Ordinum advocatus fuit Conf. C. DIERT atque eorum procurator VRANCK DE BYE. Vid. *Ref. v. Holl.* 20. Febr. 1579. *fol.* 23.

(47) Vid. *Ref. v. Holl.* 30. Decbr. 1578. *fol.* 53.

(48) *Leur orgueil foule aux pieds l'orgueil du diadême,*
Ils ont brisé le joug pour l'impofer eux même,
De notre liberté ces illustres vengeurs,
Armés pour la défendre, en font les oppresfeurs.
Sous les noms feduifans de Patrons et de Pères
Ils affectent des Rois les démarches altières.
Rome a changé de fers; etc.

VOLTAIRE.

atque hae caussae omnes enumerantur; illud tamen Ordines ita decreverunt, ut minores civitates principi difficultates omnes exponerent quae in illo decreto invenirentur, ut remedium iis afferre posset (49). Agnoscunt igitur comitis potestatem concedendi civitatibus jus sedendi et suffragium emittendi in Ordinum coetu. At vero princeps quidem tunc temporis aberat: postquam reversus brevi post interemtus est; et eo mortuo, amiserunt judicem idoneum et integrum, cujus in locum ipsi adversarii successerunt, et vacuefactam principis sedem illi ipsi occuparunt qui controversiam movissent. De hac autem occupatione suo loco plura sumus dicturi.

Superest, ut de *satisfactionibus* agamus, a paucis rite intellectis et certe satis obscuris; praesertim, cum unus qui de hoc argumento commentatus est factum cum jure et jus cum facto confundens, minime intellexerit, sive comitum imperium, sive GULIELMI auctoritatem, sive harum satisfactionum vim et naturam.

Ante pacificationem initam multae civitates Hollandiae et Zeelandiae principis partes nondum sequebantur; et qui PHILIPPO addicti mansissent, soli se et esse credebant et haberi volebant Ordines legitimos. Hanc ob caussam Gandavi convenerunt, legati Zeelandiae principis partes secuti, iique qui principis imperium nondum agnovissent; un-

(49) Vid. *Res. v. Holl.* 17. Febr. 1579. *fol.* 21.

unde magna oriri poterat discordia, quae evitari debebat interventu et ope pacificationis. Hanc ob causſam art. 7. pacificationis ſtatuebat ut civitates vel loci Hollandiae ſeſe tradere posſent imperio GULIELMI, ut ab eo acciperent *ſatisfactionem*, ratione illorum capitum quibus difficultates eorum continebantur, et ſic porro. Dicitur ille articulus factus, ut indulgeretur principi; quam ſententiam non probo, et multo magis credibilem existimo eam, quam praebet ipſe pacificationis articulus: ne ſcilicet discordia regnaret, neve provinciae a ſe invicem disjungerentur. Nemini mirum videatur concilium ſtatus Ordinum generalium ſatisfactionibus favere; nulla enim esſe poterat pax, niſi inter litigantes de illis conveniret. In errore igitur est ratiocinatio eorum, qui dictitent, Ordines generales civitatum privilegia violavisſe, cum ſtatuerent illas civitates admitti non posſe in eorum coetum, antequam de ſatisfactione iis cum principe convenisſet. Neque illud ſtatutum ex necesſitate defendi necesſe est, cum juri plane congruens ſit. In Ordinum generalium coetum profecto venire tantum poterant foederatarum provinciarum legati; civitates quae non agnoscebant formam imperii provinciae, quam agnoscebat pacificatio gandavenſis, Ordinum provincialium participes esſe non poterant; ac conſequenter non poterant decretorum ab Ordinibus generalibus factorum participes esſe. At vero non idcirco participes non erant,

quod

quod Ordines generales eos admittere nolebant: ſed quoniam ipſi non agnoscebant illam regiminis formam, unde Ordines generales orti erant. Quamdiu non amplectebantur illam pacificationem, Ordinibus generalibus hostes manebant.

Articuli, circa quos ſatisfactionem postulabant, erant: religio catholica, reverentia erga regem, pax et ſecuritas urbium ſuarum. Finis itaque ſatisfactionum fuit: ut civitates, quibusdam articulis magis circumſcriptis, ſeſe ſubmitterent imperio principis. Nimirum civitates illae regnandi cupidae, limitibus coarctari volebant praefecti potestatem; veluti, ne cogi posſent ut praeſidia admitterent: ut ipſi magistratus urbis ſinguli ſuae claves custodirent: et qui magistratum gesturi esſent, eligerentur modo aristocratico, etc.

Quaeritur quaenam fuerit illarum ſatisfactionum vis. Saepius dicuntur leges fundamentales; cui tamen ſententiae equidem calculum adjicere non posſum; cum lex fundamentalis comprehendat vinculum principem inter et ſubditos, non autem principem inter et civitates; ita ut ſatisfactiones diverſae ſint a lege fundamentali et propterea tantum privilegia ſint. Et hoc probe intellexerunt civitates Hollandiae, quae imperio principis ſeſe tradiderunt, postquam iis ſatisfactionem dedisſet, quando cum Zeelandiae civitatibus in coetu Ordinum Hollandiae Zeelandiaeque declaraverunt, ſe unionem et prin-

cipis imperium accepisse, confirmasse et approbasse, et pollicitae sunt se tamquam quae Ordinibus adscriptae (Ordinum membra) et foederatae essent, omnia illa ea, qua par erat, fide esse observaturas.

Atque hinc apparet non tantum civitates Hollandiae sed etiam Zeelandiae quae satisfactionem acceperant, unionem anni 1576 cum imperii oblatione, legem agnovisse fundamentalem harum provinciarum jus publicum speciale efficientem (50).

Op-

(50) Vid. *Res. v. Holl.* 1. Januarii 1577. *fol.* 1. et 25. Febr. 1579. *fol.* 27. cujus verba sunt:

„ *Nadien op de generale vergaderingh van de Staten* „ *van Hollandt ende Zeelandt de gedeputeerden der Steden* „ *binnen deselve Landen die bij satisfactie hen onder* „ *het Gouvernement van syn Excell. begeven hebben, als* „ *Haerlem, Amsterdam, Schoonhoven, Heusden, Weesp,* „ *Muyden, Naerden, der Goes, Tholen voorgehouden* „ *syn geweest de poincten van 't verbondt, ende Unie der* „ *voorsz. Landen mitsgaders van 't Gouvernement, dat syn* „ *Excell. daarby in Mey 76 is vernieuwt en opgedragen* „ *ende volkomelyck onderrecht zijnde, van de redenen in-* „ *sigten ende respecten, die daartoe in de noodt hebben ghedient* „ *tot defensie en bevrydinghe derselver Landen, en dat de-* „ *selve geduyrende den jegenwoordigen Oorlogh vastelyck* „ *moeten worden onderhouden tot conservatie der voorsz.* „ *Landen, hebben de voorsz. Steden al 't inhoudt derzelver* „ *poincten zoowel op 't voorsz. verbondt, als 't Gouverne-* „ *ment van syn Exc. mede aangenomen, geconfirmeert ende* „ *geapprobeert, beloveende al 't selve mede als Lidtmaten* „ *ende Bontgenoten t' onderhouden en t' achtervolgen* „ *na behoren.*

„ *Die van Zeelandt hebben verklaert uit de naem van* „ *de Staten van Zeelandt 't selve verbondt ende Unie* „ *midtsgaders de poincten van 't Gouvernement van syn* *Exc.*

Optabile profecto jam fuisset, ut civitates illae, pure id est nulla adjecta conditione, sese submisissent principis imperio; quoniam privilegia, paucis favorabilia, nocent multis, quibus ut subveniatur, rursus nova iis privilegia tribuuntur; quae nocent primis privilegiatis; sic privilegia et incommoda, quae numquam non sequuntur privilegia, alia super aliis cumulantur, ansam praebent jurgiis, rixis, tumultibus seditionibusque. Omnium igitur privilegiorum exstinctio maximum fuisset emolumentum et magnam securitatem atque salutem civitatibus attulisset.

Jam et illa satis explicuimus; quapropter finem imponere licet huic capiti. Prorsus enim supervacaneum sit probare, unionem et oblationem imperii effectu quoque valuisse; cum omnia quae diximus de pacificatione gandavensi, de unione ultrajectina, de dispositione in Ordinum coetu observanda, denique de satisfactionibus, id abunde probant. Inspi-

„ *Exc. in alles geduyrende den oorlogh als voren te hel-*
„ *pen onderhouden en confirmeren.*"

Quae Ordines hic statuunt negavit SPIEGELIUS (*Satisf. p.* 236.) cum dicit: *zy* (civitates quae satisfactionem receperant) *wilden den Prins wel erkennen voor Stadhouder maar niet voor Hoofd en Hoogste Overigheid* (probavimus haec esse synonima) *zy wilden zich in het geheel niet onderwerpen aan 't uitgebreide gezag den Prinse by de unie opgedragen.* Judicet inter Ordinum et amplissimi SPIEGELII narrationis veritatem aequus lector. Equidem in plurimis quae ad satisfactiones pertinent argumentis, a laudatissimo illo viro me dissentire non diffiteor.

ſpiciantur praeterea decreta Hollandiae quibus faciendis ſcribendisque et deputati Zeelandiae plerumque adfuerunt; qui adesſe certe non poterant niſi ex unione, quae igitur valuit, quaeque valere non potuisſet ſine oblatione imperii.

Summa igitur concluſio hujus capitis eo redit:

I.

Unionis Hollandiam inter et Zeelandiam auctor fuit GULIELMUS.

I I.

Finis hujus foederis unionis fuit: ut quaecumque ad bellum pertinerent, administrarentur, tamquam ſi illae regiones unam tantum civitatem efficerent.

I I I.

Hujus unionis ſummus imperans et ſupremus reipublicae rector fuit GULIELMUS.

I V.

Hoc titulo regnaturus erat GULIELMUS, donec PHILIPPUS vel in gratiam rediisſet cum provinciis vel abjuratus foret.

V.

Inter vicarium et ſummum imperantem et ſupremum

mum civitatis rectorem tempore hujus belli, nullam agnoscimus differentiam.

VI.

Inſtrumentum illud unionis et imperii delationis in favorem GULIELMI interpretandum erat.

VII.

Duravit illa imperii forma usque ad GULIELMI necem.

VIII.

Modus quo pacificatio gandavenſis contracta initaque est probat, illam unionem oblationemque imperii revera executioni mandatam fuiſſe; Illae porro pacificatione ipſa non antiquatae ſed potius confirmatae ſtabilitaeque fuerunt.

IX.

Creatione MATTHIAE gubernatoris generalis, et ducis ALENCONII libertatis batavae tutoris, nulla in comitatu noſtro exſtitit regiminis mutatio.

X.

Foedus ultrajectinum GULIELMI juribus nihil detraxit aut detrahere potuit.

X I.

Ordines Hollandiae dispositione in conventibus observanda detraxerunt GULIELMO facultatem statuendi de eorum conventibus, in eaque laeserunt jura nobilium parvarumque civitatum. Dispositio illa inprimis profuit formae imperii aristocraticae, quae post GULIELMI mortem in patria nostra invaluit.

X I I.

Satisfactiones, quae dicuntur, juribus GULIELMI vel civitatum minime obfuerunt.

CA-

CAPUT QUARTUM.

DE JURE GULIELMI I, QUOAD SUMMUM IMPERIUM, IN COMITATU HOLLANDIAE, A PHILIPPO II. ABJURATO USQUE AD GULIELMI MORTEM, ID EST AB ANNO 1581—1584.

Inter facta memorabilia quae hiſtoria ad poſteritatem propagavit, certe abjuratio illa inſignem tenet locum: in patriae cariſſimae hiſtoria maximi est momenti: in enarratione GULIELMI jurium, in ſummum imperium in comitatu Hollandiae, periodum quandam conſtituit; cum illa abjuratione haec jura e novo quodam fonte ſint derivanda.

Supra jam diximus, potestatem unione anni 1576 GULIELMO tributam usque ad vitae tempus ejus permanſiſſe; at quae tunc diximus, ea nunc probandi venit locus, cui quidem loco ut ſatisfiat, hujus capitis erit argumentum idem atque officium. Neque tamen quod de permanſione potestatis, quae GULIELMO tributa erat, poſuimus, ita intelligi vo-

lumus tamquam ejusdem pacti ſeu inſtrumenti vi duraverit haec potestas; id enim quominus verum esſe cenſeri posſit, ipſa illa quae intercesſit, abjuratio inprimis vetat.

Qualitercumque enim GULIELMUM conſideremus, ſive praefectum comitis, ſive vicarium, ſive ſummum imperantem aut civitatis rectorem ſupremum ad tempus, ſemper ejus potestas a jure comitis erat derivanda, quo cesſante, et ipſe eam potestatem amittere debebat. Nec aliquis dicat, GULIELMUM vicarium, ſummum imperantem, vel civitatis rectorem ſupremum, regnavisſe ad tempus jure a poptilo in ipſum collato; ſaepius enim jam a nobis est obſervatum Ordines diſpoſuisſe de imperio, e jure quod GULIELMUS ab initio ipſis transmiſisſet. Quum igitur GULIELMUS jus ſuum de imperio ſtatuendi ſeu disponendi amiſisſet, conſequens est, quicquid ex illo jure in alterum transtulisſet id continuo cesſasſe, existimari debere, ob regulam ſaepius laudatam, neminem plus juris in alterum transferre posſe quam ipſe habet.

Quum igitur potestatem quam illius inſtrumenti ope nactus erat, GULIELMUS amiſisſet, eandem tamen ei fuisſe reſtitutum, jam noſtrum erit probare. Ut autem quae ad illam reſtitutionem pertinent bene intelligamus, non erit inutile quae reſpectu abjurationis in comitatu Hollandiae acta ſunt paucis inquirere.

X Jam

Jam anno 1575 in coetu Ordinum Hollandiae propositum fuerat a rege sese ut segregarent (1). Sed haec rogatio tunc temporis nullum habuit eventum; spes enim erat ut cum PHILIPPO redirent in gratiam Ordines, quae proxime sequenti anno non nihil incrementi cepit, pace gandavensi, et unione ultrajectina denuo fuit firmata. At brevi post evanuit, quando ex iis quae Coloniae Agrippinae de pace acta fuisſent, liquido constaret: ab una parte PHILIPPUM concesſurum numquam fore sentiendi et Deum colendi libertatem: ab altera (2) parte, Ordines illa postulare in administratione et comitatus moderamine, quae PHILIPPUS nisi omnem abjiceret verecundiam et existimationem, concedere numquam posſet. (3)

Quum igitur litigantium postulata invicem sibi plane repugnarent, et ita spes de pace instauranda omnino evanuisſet, iterum agitatum est consi-

(1) Vid. *Res. v. Holl.* 13. Octobr. 1575. *fol.* 692.

(2) Vid. *Res. v. Holl.* 30. Aprilis et 15. Maji 1579. *fol.* 79. et 103. *Groot Placaetb. T.* I. *p.* 33.

(3) Postulaverunt Ordines cum alia, tum ut comitis praefectus, nisi ex ipsorum consensu creari non posset: ut PHILIPPUS iis concederet *legem commissoriam*, ex qua integrum ipsis esset a comite deficere, si non obediret certis legibus etc. Omnino recte rogaverunt intercessores, (*conciliatores*) ecquis judex foret, quando lis exstaret de libertatibus privilegiisque violatis vel non violatis? cum neque Ordines hoc jus comiti, neque comes Ordinibus concedere vellet. Atque hanc quaestionem intercessores dirimere non potuerunt omniaque in hac parte incerta esse profiteri non dubito. Historiam tradit WAGENARIUS *T.* VII. *p.* 281.

ſilium deſciſcendi a rege, quod quidem propoſitum ut ad effectum perduceretur, nobiles ſuaſerunt ad *d.* 11. *Julii* 1579. regi fidem esſe abjurandam; atque hoc tamen conſilium diſplicuisſe videtur civitatibus idcirco, quod omne commercium cum Hiſpania ſic deberent vetare (4).

Quum tamen de illâ re ad mandantes (committentes) retulisſent una conſpirantique voce pronunciaverunt: regem non amplius esſe agnoscendum; nihil tamen agere voluerunt, antequam quid ſentirent princeps et foederati cognovisſent. Decreverunt autem: in poſterum edictis, decretis ſententiisque non praemittere nomen regis; ſed ejus loco titulum comitatus Hollandiae et Zeelandiae et harum regionum Ordinum; et in rebus ad juſtitiae administrationem pertinentibus, uti nomine principis et Ordinum, vi comitatus et ſummi imperii Hollandiae; ſed neque illud decretum exſequendum curaverunt, ea ratione quod Zeelandia brevi ſimiliter decretura ferebatur; et eo quidem pervenisſe videntur menſe maji anni 1580 (6).

Ad *d.* 2 *Febr.* hujus anni nonnullos elegerunt, qui principem, quid ſentiret de regis nomine ac titulo omittendo, rogarent ac ſimul difficultates, quae

(4) Vid. *Reſ. v. Holl.* 11. Julii 1579. *fol.* 160.
(5) Vid. *Reſ. v. Holl.* 18. Aug. 1579. *fol.* 187.
(6) Vid. *Reſ. v. Holl.* 18 et 20. Decembr. 1579. *fol.* 313. et 316. 20 et 25. Januarii et 8. Maji 1580. *fol.* 7. 13 et 80.

quae huic rei inessent, ipsius menti considerandas subjicerent (7).

Princeps ARAUSIACUS eodem die respondit, praestabilius fore decretum exspectare Ordinum generalium (8). Nobiles ac civitates Hollandiae conspiranti deinde consensu declararunt, sibi videre regem esse deserendum (9), atque in hanc sententiam in Ordinum generalium coetu suffragium se laturos (10).

Ibi res illa prorogata videtur, quam prorogationem moleste tulerunt Hollandiae Ordines, et decreverunt, ut incolae novum praestarent jusjurandum (11); cui decreto sententiam suam se adscripturum non negavit GULIELMUS (12). Utrum illud Hollandiae Ordinum decretum Ordines generales moverit, ut de illa materia iterum agerent, an vero alia fuerit caussa, mihi sane non innotuit; certe tamen brevi tempore post, iterum deliberaverunt de PHILIPPO hoste declarando (13); cum mercaturae commodum, cui semper prospicere volebant Hollandiae Ordines, eos moverit ut hac re superséderent (14). Ceteris provinciis una voce regem abjurandum esse con-

(7) Vid. *Res. v. Holl.* 2 et 3. Febr. 1580. *fol.* 19 et 20.
(8) Vid. *Res. v. Holl.* 3. Febr. 1580. *fol.* 21.
(9) Vid. *Res. v. Holl.* 28. Mart. 1580. *fol.* 44.
(10) Vid. *Res. v. Holl.* 21. April. 1580. *fol.* 66.
(11) Vid. *Res. v. Holl.* 19. April. 1581. *fol.* 155.
(12) Vid. *Res. v. Holl.* 29. April. 1581. *fol.* 192.
(13) Vid. *Res. v. Holl.* 6. Junii 1581. *fol.* 250.
(14) Vid. *Res. v. Holl.* 7. Junii. 1581. *fol.* 252.

conſentientibus, non diutius moram fecerunt Hollandiae Ordines (15); ita ut Ordines generales omnium provinciarum, conſpiranti conſenſu, ad *d.* 26. *Julii* anni 1581 regem abjurare decreverint (16).

Ne tamen aliquis credat, abjurationis propoſitum eo ſpectasſe, ut libera ac ſui juris conſtitueretur respublica, de qua conſtituenda nihil in mentem majoribus noſtris tum temporis venisſe videtur; (id quod laudi ipſis vertendum exiſtimo) illud unice cogitavisſe videntur, alium ut eligerent ſummum imperantem, cui ſubditi atque ſubjecti esſent, verbo: cui parerent. Et huic quidem obſervationi anſam praebuit ipſum abjurationis inſtrumentum, ubi dicitur, omnia quae acta ſunt, validam justamque dedisſe causſam, cur rex Hiſpaniarum esſet deſerendus, et alius pius ac potens princeps, qui hisce regionibus tuendis ac defendendis par foret et idoneus, esſet rogandus (17). Potens ac pius ille princeps fuit dux ALENCONIUS; namque relatum legimus non ita multo post, maximam harum regionum confoederatarum partem, communi pace ac conſenſu ſingularum, ſeſe ſubmiſisſe imperio et mode-

(15) *Ibid.* 14. Junii. 1581. *fol.* 278.

(16) Vid. *Gr. Placaetb. T.* I. *p.* 25.

(17) Vid. *Groot Placaetb. vol.* I. *p.* 32. Verba ſunt: *alle 't welck ons meer dan genoegh wettige oorſaecke gegeven heeft, om den Coningh van Spangien te verlaten, en eenen ander machtigh en goedertieren Prince, om de voorſz. Landen te helpen beſchermen, en voorteſtaen, te verzoecken.*

deramini celsissimi principis ducis ALENCONII, certis conditionibus articulatim descriptis, cum eo initis pactisque; quapropter jubent praecipiuntque nomen titulumque regis Hispaniarum abjiciendum atque in posterum omittendum, et eorum loco, duce absente, interim utendum titulo et nomine supremi rectoris ac status consilii.

Et haec quidem de proposito, cujus obtinendi caussa omnis haec abjuratio suscepta est, dicta sunto. Apparuit PHILIPPI loco ducem ALENCONIUM electum fuisse, nomine seu titulo (*Protectoris*) tutoris; attamen non exigua erat differentia potestatis, quae nunc tributa erat ALENCONIO, et ea, qua praeditus fuisset PHILIPPUS. Quamnam autem potestatem ALENCONIO assignaverint Ordines, nunc enarrare nihil attinet, siquidem ad nostrum quidem argumentum haudquaquam videtur pertinere. Hollandia enim et Zeelandia a ceteris semper provinciis suas seorsum disjunctas habuerunt rationes, et tantum cum ceteris conjunctae erant quoad communem defensionem; et hactenus etiam ducem ALENCONIUM agnoscere non dubitaverunt (18). Id quod in pacto Burdigalensi art. 14. stipulatum erat (19), et

(18) Vid. *Res. v. Holl.* 21. April. 1580. *fol.* 66.

(19) Verba sunt: *Hollande et Zeelande demeureront comme ils sont a present nommement au faict de la Religion et autrement, bien entendu qu'es affaires concernant la monnoye, la guerre, les Contributions et Privileges d'entre les Provinces et Villes respectivement, ils submetteront a son*

et ille peculiari inftrumento principi ita explicavit, ut non aegre ferret res inter eum et Ordines Hollandiae Zeelandiaeque manere, uti fuerant pace gandavenfi (20). Hollandia Zeelandiaque illo fundamento fe a ceteris fejunxerunt provinciis, deque fuarum provinciarum moderamine feorfum ftatuerunt. (21)

Dux ALENCONIUS ante abjurationem tutor (*protector*) creatus erat, ut nullo tempore foret anarchia. Hoc confilio etiam refpectu fummi imperii in GULIELMUM I. ejusque heredes transferendi agebatur. In Ordinum Hollandiae coetu primum de ea re actum est ad *d.* 28 *Martii* anni 1580 (22); cum nobiles et civitates cenferent regem esfe deferendum, et hac ufi opportunitate, fuam pronunciarunt fententiam, de nova imperii forma conftituenda. Animadvertendum, illos qui regem abjurandum esfe cenfebant, eosdem cenfuisfe fummum imperantem et fupremum rectorem jam esfe eligendum; ut tantum in eo inter fe disfentirent, utrum GULIELMUM an ducem ALENCONIUM eligerent. Plures tamen praeferebant GULIELMUM, in quo commendando, nobiles et urbs Amftelodamum nihil reli-

fon Altesfe et a la Generalité fuivant les accords et Tractement faits par commun advis des Eftats Generaux ou a faire, felon les anciennes coustumes, ufances et privileges. *Ref. v. Holl.* 15. Sept. 1580. *fol.* 203.

(20) Vid. KLUIT. *op. cit. L.* I. *p.* 202.

(21) Vid. *Groot Placaetb. vol.* I. *p.* 34.

(22) Vid. *Ref. v. Holl.* 28. Martii 1580. *fol.* 44.

liqui fecerunt, et declaraverunt principi offerendum esse summum imperium, eo titulo quo illud accipere vellet, quoniam regionum nostrarum conservandarum caussa, et vitam et bona, in praesentissimum adduxisset periculum; ita ut nullus princeps magis pius, christianae religionis magis fidus custos, nemo prudentior et omni laudum genere cumulatior, invenire possit.

Ordines interea non exiguam summae potestatis partem sibi arrogare coeperant, et regalia multa usurparant, cujus rei exemplum invenimus in decreto Hollandiae ad *d.* 25 *Junii* 1579 ubi petunt ut, cum statuendi de *remissionibus*, quas vocant, et veniam concedendi, dum abesset princeps, exercuissent, ille ipsis auctoritatem praeberet, qua in hisce juribus exercendis perseverarent. Nemo non sentiet Ordinum petitiones ab eo inde tempore, usque ad annum 1581 moderatiores non evasisse; ita ut Ordines, postquam in formam imperii multa induxissent vitia, pessimosque adeo abusus haud paucos iterum admittere debuissent, eligendi iterum nonnulli fuerint, qui vitiis atque abusibus remedia adferrent (23). Illi simul reipublicae moderamen curarent, atque omnia deinceps cum principe communicarent; GULIELMUS vero cum ad *d.* 16 *Januarii* anni 1581 in Ordinum coetu adesset, declaravit

(23) Vid. *Ref. v. Holl.* 16. Januar. 1581. *fol.* 13.

vit se sperare fore, ut vitia et abusus ipsis curae essent, sed quae semet ipsum peculiariter spectarent, libenter Ordinibus permissurum, ut de iis statuerent prout reipublicae maxime expediturum censerent.

Illa GULIELMI declaratio parum convenire sane videtur cum ingrati istius BURMANNI (24) enuntiatione, GULIELMI *suprema ambitionis meta, diu animo concupita.* Qualis accusatio quam a re et ratione aliena, quam temeraria et praejudicatis opinionibus suscepta sit, ultro apparet, et sane ejusmodi est ut nisi a BURMANNO, aut hujus consimili homine, commentum istud proferri non potuerit.

Ad *d.* 15 *Martii* decreverunt Ordines Hollandiae Zeelandiaeque principem rogare et obtestari, ut ad defensionem et conservationem harum regionum eadem uteretur auctoritate, quae in ipsum unione Hollandiam inter Zeelandiamque collata fuerat, cum parati essent ejus obtemperare imperio, ea lege, ut nomine ac titulo regis non amplius uteretur (25). Sequitur instrumentum, quo et anno 1576 summum imperium in GULIELMUM collatum fuit, quibusdam tantum mutatis, et quidem primo: verba quibus GULIELMI potestati finis imponebatur deleta inveniuntur, secundo: romano-catholicis major tribuitur libertas.

Il-

(24) Vid. P. BURMAN *Annal. Belg. Praef. T.* I. *p.* XC.

(25) Vid. *Ref. v. Holl.* 15. Martii 1581. *fol.* 64.

Illud Ordinum decretum varie explicatur a ſcriptoribus noſtris, quorum tamen ſententiae mihi minime placent cum luce clarius pateat, eas a vero esſe alienas. Meam fortasſe ſuper hoc decreto alias exponam, qualitercunque ſit, ſententiam, hoc loco illud dixisſe ſatis habebimus, cum finem non ſit conſecutum; civitas enim amſtelodamenſis ei conſentire negavit (26). Ordines Amſtelodamum, ut conſenſum praeberet, movere conati ſunt, ſed fruſtra; et cum remedia contra vitia et abuſus adferri non posſent, niſi forma regiminis conſtabilita fuisſet, decreverunt Ordines certum ſtatuere diem, quo die jurejurando princeps ſeſe obligaret, et principi ſeſe obedientiam praeſtituros vicisſim jurejurando promitterent Ordines. Sed ecce, nunc declarat civitas goudana mandato ſeſe indigere, ut conſentire posſet: civitas ſchiedamenſis, mutare ſe nolle dominum: Amſtelodamum conſenſum ſe non prius praebiturum quam ceterae provinciae, Goudaque ac Schiedamum conſenſisſent (27). Hujusmodi vero conditionibus datus conſenſus, disſenſui par cenſeri poteſt.

Ad *d.* 7 *Junii* necesſe esſe judicarunt Ordines, ut decreta quibus ſummum imperium conſtitueretur, quamprimum fierent; ideoque nonnullos elegerunt qui

(26) Vid. *Reſ. v. Holl.* 15. Martii 1581. *fol.* 68.
(27) *Ibid.* 30. Maji 1581. *fol.* 225. *et ſeqq.*

qui omnia quae refpectu fummi imperii conftituendi acta esfent, recognoscerent, deinde principi offerrent imperium, ab eo jusjurandum acciperent, et vicisfim ei jusjurandum praeftarent Ordinum nomine, et denique cum eo agerent de ceteris decretis ad exitum perducendis (28).

At vero Amftelodamenfium civitas declarat de fummo imperio fe relaturam ductoribus civium armatorum collegiorumque, ut hac de re deliberarent, audita prius principis et Ordinum fententia (29). Videntur Ordines illos elegisfe mandatarios, fperantes fore, ut rei finem imponere posfent, Ordinum mandatis inftructi, atque eorum officium ipfi fuscipientes. Et fortasfe fine difficultate mandatum exfequi potuisfent, fed hanc ob causfam confenfum negavit Amftelodamenfium civitas, quae ubi Ordines vias circumfpicerent, quae rei ad exitum perducendae esfent idoneae, non deftituebatur facultate et arte moras nectendi; fic v. g. promisfio deliberandi post acceptum confilium, astute inventa erat, ut mora interponeretur. Sed vicisfim nemini mirum videbitur illam tergiverfationem moleste tulisfe Ordines, qui ad civitates fcripferunt, ut convenirent ad inftaurandum et conftabiliendum imperium, quod anno 1576 fuit delatum (30). Declaraverunt Ordi-

(28) Vid. *Ref. v. Holl.* 7. Junii 1581. *fol.* 253.
(29) *Ibid.* 27. Junii 1581. *fol.* 289.
(30) *Ibid.* 1. Julii 1581. *fol.* 294.

dines (etiam civitas amſtelodamenſis et ſchiedamenſis) et conſenſerunt ut juxta inſtrumentum, quo regiminis forma esſet deſcripta, et decretum quod de ea exſtaret, a principe jusjurandum acciperetur, eique vicisſim praeſtaretur et conditionibus quas continebat ſatisfieret. (31)

Jam unusquisque autumet, lites esſe diremtas: nam et Amſtelodamum conſenſerat. Sed tantum aberat, ut ſopitae esſent lites, ut aliae ex aliis quaererentur. Nobiles nunc et civitates declarant ſibi incumbere officium perducendi ad finem oblationem imperii: Amſtelodamum autem perſeverat in declaratione facta *d.* 2. (fortasſe *d.* 3.) *Julii*, ſed postulat ut addatur *oportere ſingulas ſua retinere jura ſuasque ſatisfactiones* (32). En igitur novum impedimentum.

Ordines, conditione illa per legatos ſuos cum principe communicata, ejusque explorata auditaque ſententia, dubitante adhuc civitate amſtelodamenſi, ipſis autem enixe illud cupientibus, decreverunt imperium deferre, et hanc tamen addere formulam: „ *Salvis uniuscujusque privilegiis ac juribus, et ſatisfactione ſi cui urbi haec data fuisſet.*" (33)

Quod-

(31) *Ibid.* 3. Julii 1581. *fol.* 298.

(32) *Ibid.* 5. Julii 1581. *fol.* 304. *et ſeq.*

(33) Verba ſunt: *Behoudens eens yegelycks Privilegien Gerechtigheden ende ſatisfactie, die aan eenige ſteeden zouden mogen zyn gegeven.* Vid. *Reſ. v. Holl.* 10. Julii 1581. *fol.* 325.

Quodſi autem Amſtelodamum his contenta non esſet, curia Hollandiae intra duos menſes controverſiam ſuper ſatisfactionibus dirimeret; ſed ita diremta per curiam controverſia, nulla ſatisfactionum facta mentione, principi deferretur imperium (34).

Jam nullum ſuperesſe dubium videtur, quin Amſtelodamum urbs contenta, jam ſuam quoque ſententiam adſcribi patiatur decreto de imperio offerendo; at errat longe qui hoc ſibi perſuadeat. Negat iterum et nova iterum objicit impedimenta. Unum etiamnum ſupererat remedium, nimirum ut Amſtelodamum a ſatisfactione recederet. Cognitum est, urbes per ſatisfactiones multa accepisſe privilegia, ſed quaedam etiam incommoda iis fuisſe adjuncta; Ordines igitur Amſtelodamenſibus obtulerunt, ut ab utraque parte ſatisfactioni renunciaretur et ei multa concederentur privilegia: ſimul vero contestata denunciatione, ſi Amſtelodamum diutius negaret declaraverunt: ſibi culpam detrimenti, quod e longiore Amſtelodamenſium tergiverſatione, respublica capere posſet, asſignari nullo modo posſe (35).

Poſtridie Amſtelodamenſium civitas longis verborum ambagibus iterum negat, nec pudet eam, a ſua parte etiam contestata denunciatione ſe innocentem profiteri et vacuam, ab omni culpa incommodo-

(34) *Ibid.* 10. Julii 1581. *fol.* 325.
(35) *Ibid.* 11. Julii 1581. 333.

dorum e mora in oblatione imperii facta contrahendorum (36).

Nobiles ceteraeque civitates nunc decernunt, principi deferendum esse summum imperium; quum controversia de satisfactionibus a curia provinciali per ordinariam jurisdictionem esset dirimenda (37). Princeps expedire non existimat imperium delatum jurejurando adire, aut jusjurandum ante accipere, quam controversia illa composita foret; quapropter maluit per quatuor menses exspectare, ea conditione, ut ille cum Amstelodamensium civitate dissensus, hoc temporis spatio compositus aut justa sententia diremtus foret, et imperium deinceps absolute ei deferretur. Nobiles et plurimae civitates declarant imperii oblationem differendam non esse, ut omnem petulantiam tumultum et id genus incommodi vitent, et nonnullos eligunt qui a principe peterent, ut, cum nobiles et civitates convenissent de absoluto principi deferendo imperio, ille curare vellet, ut exsecutioni mandari posset (38). Princeps iterum declarat, utile sibi non videri, illam imperii oblationem statim ad exitum perductum iri, praesertim cum ipse abire deberet et ceterae provinciae per illam oblationem novam regiminis formam constitui putarent, quamvis potestas illa obsoluta de-

(36) *Ibid.* 12. Julii 1581. *fol.* 335.
(37) *Ibid.* 13. Julii 1581. *fol.* 341.
(38) *Ibid.* 18. Julii 1581. *fol.* 354.

de qua deferenda agebatur, minor esset illa qua instructus fuerat anno 1576 (39). Nobiles, civitas Enchusana et Lugdunum Batavorum in sententia jam enunciata permanserunt, et pati negarunt, universum comitatum cedere arbitrio unius urbis; ceterae tamen approbarunt consilium GULIELMI, ita ut decretum fuerit, principi omnem obedientiam praestandam esse, vi imperii jam pridem in eum delati; omnia decreta et remedia contra vitia et abusus exsequenda mandare, et intra quatuor menses controversiam ab Amstelodamensium civitate motam, esse componendam aut curandum ut a curia dirimatur (40).

Nec tamen denuo puduit Amstelodamum contestata denunciatione innocentem sese declarare ab omni culpa, ob non absolute delatum imperium, contracta; jam vero se velle accedere, dummodo Ordines ei traderent actum, quem vocant *indemnitatis*, id est, quo caverent sese ab omni detrimento ipsam praestituros immunem, sive declararent, illud imperium non obfuturum satisfactioni (41).

Eodem die tempore vespertino actus continuationis praelectus fuit (42) et sequenti die sancitus (43). Il-

(39) Conferantur quae de illa differentia infra dicentur.
(43) Vid. *Ref. v. Holl.* 19. Julii 1581. *fol.* 359.
(41) *Ibid.*
(42) *Ibid.* 19. Julii 1581. *fol.* 364.
(43) *Ibid.* 20. Julii 1581. *fol.* 366.

Illa continuatio imperii tantum erat renovatio imperii delati anno 1576; et cum Amſtelodamum post acceptam ſatisfactionem ſeſe ſubmiſisſet imperio principis anno 1576 ipſi delato, (44) recte judicaverunt Ordines: non posſe ſatisfactionem pugnare cum imperio actu continuationis confirmato; et cum concesſio inſtrumenti quo de *indemnitate* caveretur, eam vim videretur habere, ut pugnam aliquam inter memorata acta existere agnosceretur huic ſeſe adſcribere recuſarunt; et quod ad ſe attineret jusjurandum praeſtare detrectavit Amſtelodamum (45).

Quando igitur omnia frustra tentasſent, Amſtelodamum autem nihil plane concedere ſe velle palam profiteretur, princeps et Ordines eodem die jusjurandum ſibi invicem praeſtiterunt; et Ordines principem rogarunt ut curaret, idem ut jusjurandum praeſtaret Amſtelodamum, neque aliam in ejus civitatis gratiam admitteret jurisjurandi formulam, niſi eorum conſilio et conſenſu (46). Tradiderunt ei deinceps inſtrumentum ejusdem argumenti, atque illud quod anno 1576 confectum erat, et in dorſo adſcripſerunt, ſeſe regem abjurasſe (47).

Mi-

(44) Vid. *Reſ. v. Holl.* 25. Febr. 1579. *fol.* 27. et quae ſuo loco de ſatisfactionibus disſeruimus.

(45) *Ibid.* 24. Julii 1581. *fol.* 382.

(46) *Ibid.* 24. Julii 1581. *fol.* 385.

(47) *Ibid.* 24. Julii 1581. *fol.* 386.

Mira videri posſint quae in hac cauſſa ab Amſtelodamenſium civitate facta ſunt. Post primum factum decretum, cui ipſa haec urbs favere ſe ostenderat, praeciſe conſenſum negat; deinde conſentit, dummodo conditio adjiceretur: ſi ceterae provinciae, ſi Gouda et Schiedamum prius conſentirent; cujusmodi conditio, ſi Amſtelodamenſes bona fide egisſent, plane abſurda fuisſet; cum probe ſcirent ducem ALENCONIUM a longe plurimis provinciis esſe electum; et quod attinet ad Goudam et Schiedamum, cui bono illae civitates prius conſentire debebant? non aliam igitur ob causſam ista conditio interpoſita mihi videtur, niſi ut oblatio imperii per eam impediretur; ita etiam vana fuit et levis, ut Amſtelodamum brevi post ab istis argutiis debuerit recedere, et alias excogitare, quas in ſatisfactionibus ſe inventuram ſperaret. Sed et illae probant, quam infirma fuerint argumenta civitatis Amſtelodamenſis; nam, ut recte obſervavit GULIELMUS, quae tunc in eum conferre volebant minora esſe iis, quae ab anno 1576 (id quod mox latius ſumus ostenſuri) posſedisſet; et quum illa GULIELMI jura ſatisfactionem amſtelodamenſem non infringerent, certe minora haec jura infringere eam non potuisſent. Praeterea, Ordines GULIELMI conſilio Amſtelodamenſibus illam tradiderant declarationem, quam rogaverant, ſed neque ea contenta fuit; unde luce clarius apparet, argumentum non tamquam ve-

veram difficultatem motum esse, sed ut judicii vicem praestaret; cum nullum justum impedimentum adesset, et tantum qualicunque commento uti vellent, quo imperii oblationem impedirent.

Cum igitur absoluta imperii oblatio evanuisset, aliam ad tempus introducere Ordines volebant, quae nihil esset aliud, nisi eorundem jurium continuatio. Et hic difficultates movit Amstelodamum, quas optime solverunt Ordines; sed Amstelodamum non curabat argumentorum vim; nam id unice spectabat, ut impedimentum aliquod objiceret, quominus *factum* oblationis imperii ratum fieret; et qualiacunque argumenta essent, nihil pensi habebat, dummodo principis Ordinumque vota frustraret. Ne tamen cui mirum videatur, Ordines illud *indemnitatis* instrumentum recusasse, quum urbs Amstelodamum illius ope nova privilegia acquisitura videretur, et ceterarum civitatum salus postularet, ut Amstelodamum non majora privilegia obtineret, cum jam *in satisfactione* sat magna ei tributa essent, idque in detrimentum ceterarum civitatum. Privilegia praeterea accumulari in favorem unius civitatis, quae nihil fere pro liberanda patria egisset, et in detrimentum earum, quae jam de tot tantisque amissis justas moverent querelas, id profecto durius et injustius erat quam ut ferri posset. Hinc negarunt *indemnitatis* instrumentum esse concedendum; sed quis praeterea, his concessis, Amstelodamensium am-

bitioni et potestati finis futurus fuisset? Ordines in sententia perseverarunt, et Amstelodamensium civitas brevi post ad officium revocata videtur; certe relatum legimus tandem iterum de hac lite fuisse agendum. Ordines illam dirimi cupiebant a curia Hollandiae; Amstelodamum contra transactione litem compositam malebat (48). Transactione composita fuit ad *d.* 20 *Decembr.* 1581. et die sequenti a principe approbata (49). Amstelodamum per illam satisfactioni renunciavit, et promisit principi praestare jusjurandum, quod ceterae jam praestitissent. Fidem suam jurejurando obstrinxit ad *d.* 18 *Januarii* 1582 (50).

Forma regiminis comitatus Hollandiae horum temporum abundat difficillimis et obscurissimis juris publici quaestionibus. De abjuratione, utrum legitima fuerit, an minus, equidem jam non sum acturus. Multa de hac quaestione dicta sunt, et multa etiamnum dicenda supersunt, sed huic quidem quaestioni hic non est tractandi locus; attamen legitimam fuisse illam abjurationem equidem affirmare non dubito.

Alia

(48) Vid. *Res. v. Holl.* 13. Octobr. 8. 10. 11. 21. Novbr. 1581. *fol.* 543. 563. 569. 571. 572. 579.

(49) *Ibid.* 20 et 21. Decembr. 1581. *fol.* 633 et 743.

(50) Illud edidit KLUITIUS *Historie der Holl. Staatsreger.* *Vol.* I. *p.* 218 *et seqq. et* 438. *seq.* Qui illud in exemplo quod manu scriptum esset invenit; sed typis mandatum jam erat decreto Ordinum *Holl.* 26. Januar. 1582. *fol.* 40. et 42.

Alia eaque haud paullo difficilior quaestio est; cuinam jus competierit ſtatuendi ſeu disponendi de imperio. Summus imperans abjuratus, habendus est pro mortuo et quidem eo, qui nullos heredes naturales reliquerit. Populus autem propterea ſummum acquirere imperium non poterat: quoniam populus tum duas ſustineret perſonas, imperantis nimirum et ſubditi. Omnes e populo esſent aequales: nemo alteri teneretur: nullum alteri in alterum jus competeret: et tot esſent civitates quot perſonae, ſi civitas ex una conſtare posſet perſona. Tunc nullum esſet ſummum imperium; nulla enim civitas ſine imperio, et nullum imperium ſine civitate. Quae cum ita ſint, *democratia*, quae vocatur, nihil aliud est niſi ſoluta licentia ſive *anarchia*, quae numquam in civitate inſtar legitimae imperii formae agnosci potest (51). Atque haec causſa est, cur ſummum imperium numquam penes populum esſe posſit; et cum penes populum esſe non posſit, non licet populum de forma regiminis ſtatuere. Ergone idcirco Ordines de ea potuerunt disponere? Ad hanc quoque quaestionem negando reſpondemus; cum Ordines fuerint mandatarii populi; neque plus juris habere potuerint quam mandantes. Quare nec Ordinibus competere potuit jus ſtatuendi de forma imperii. Et

(51) Vid. quae de democratia habet amicisſimus et conſultisſimus RAU in Disſert. ſaepius laudata p. 85. ſeqq.

Ut mea qualiscunque fert opinio, devolvitur imperium in primum magiſtratum, non ut ipſe ſummum propterea ſe conſtituat imperantem, ſed ſummum eligat vel eligendum curet imperantem. Magiſtratus a principe electus est, ergo a ſolo principe munere ſuo privari potest; electus est vi ſummi imperii, ergo tantum vi ſummi imperii dignitate privari potest. Moriente igitur principe ſuo quisque loco permanent magiſtratus; eoque mortuo, primus in civitate in ejus locum ſuccedit; ille autem est primus Magiſtratus, qui ex hoc jure post mortem principis nullos heredes naturales relinquentis, regni est *vicarius*, (*regent*) ſecundum jus publicum univerſale.

Noſtro in comitatu comes abjuratus erat, ſed aderat primus in comitatu magiſtratus, qui comitis abſentis vel mente capti erat vicarius. Hic jam abjurati locum tenebat, ſive in ejus locum ſufficiebatur (*werd zyn plaatsvervanger*) et vi ſummi imperii ſummum debebat eligere imperantem, aut illum eligendum curare. Ita fieri debuit jure publico univerſali, et cum hac de re jure publico belgico nihil peculiare invaluisſet, etiam ſecundum illud GULIELMO I, principi ARAUSIACO competiit idem jus circa eligendum ſummum imperantem.

Mira noſtris diebus haec videri potest doctrina, ſed noſtratibus tam mira olim non videbatur. GULIELMUS, cum ageretur de abjuratione et nova con-

ſti-

ſtituenda regiminis forma, in Ordinum coetu declaravit, ſe quae ad ſemet ipſum pertinerent, Ordinibus permittere, de quibus ſtatuere posſent, uti ipſis optimum et ad ſalutem publicam maxime conducere videretur (52).

Quodſi GULIELMUS non judicasſet ſibi facultatem esſe ſtatuendi de imperio, vel ſi non vulgo ita judicatum fuisſet, illud jus ſtatuendi Ordinibus non concesſisſet, neque Ordines concesſionem hujus juris agnovisſent. Non ſine grati quodam animi ſenſu vidimus GULIELMUM illud deferentem; agebatur enim res ejus uti apparet, e ſuffragiis libere misſis in Ordinum coetu, ad *d.* 28 *Martii* 1580 (53) porro GULIELMUS ſane primarium habebat jus in ſummum imperium, uti Amſtelodamenſium civitas die ſupra memorato recte dixerat, cum vita ejus et bona in maximo poſita periculo fuisſent, ut eas conſervaret regiones, neque facile quisquam alius princeps vel magis christianus, vel prudentior vel fidelior inveniri posſet; ſperandum tamen fuisſet ut Ordines et praeſertim urbs Amſtelodamum, jure ſtatuendi de imperio, benignitate GULIELMI in ipſos collato, ita abuſi non fuisſent.

Videamus jam quaenam potestas GULIELMO competierit ex Ordinum decretis; quem in finem in-

(52) Vid. *Reſ. v. Holl.* 16. Januar. 1581. *fol.* 13.
(53) Vid. *Reſ. v. Holl.* 28. Martii 1580. *fol.* 44.

inutile non erit jusjurandum a GULIELMO et Ordinibus sibi invicem praestitum exhibere (54).

Jusjurandum Ordinum erat:

„ *Wy ons onthoudende* (55) *ontslaghen van den*
„ *Eedt ende Plicht, daermede wy den Koningh van*
„ *Spaignen eertydts verbonden zyn geweest, ver-*
„ *klaren by Eede, dat wy ons geheel en sonder*
„ *eenige naedencken houden voor ontslagen van*
„ *alle Eeden, Plichten en Verbintenissen, daermede*
„ *wy den voornoemden Koningh van Spaignen, als*
„ *eertydts Grave van Hollandt, Zeelandt en Vries-*
„ *landt verbonden mogen zyn geweest: Beloven*
„ *ende zweren voorts den Prince van Orange,*
„ *als representerende, ende hem staetsgewyze gede-*
„ *fereert zynde, de Hooghe Overigheydt ende rege-*
„ *ringhe van de voorschreven Graeffelyckheydt,*
„ *ende Landen van Hollandt, Zeelandt en Vries-*
„ *landt, gehouw en ghetrouw te wezen denzelven*
„ *Heere Prince in voorsz. qalité te gehoorza-*
„ *men, ende te assisteren na onzen uytterslen ver-*
„ *mogen tegens alle ende eenen yegelyk synder*
„ *Furstelyke Genade, ende der voorsz. Landen vy-*
„ *anden, beloyende voorts alles te doen, dat goede*
„ *en getrouwe Ingezetenen van de voorschreven*
„ *Landen, haren Hooft en Hoogen Overigheydt schul-*
„ *digh zyn te doen.*"

„ *Soo*

(54) Inveniuntur in *Ref. v. Holl.* 21. Julii 1581. *fol.* 372.
(55) Pro: *houdende voor.*

„ *Soo waerlyck helpe ons Godt Almachtigh*, *ende*
„ *ſyn Heyligh woort.*"

Illud jusjurandum principi omni cum reverentia praeſtiterunt Ordines Hollandiae ad *d.* 24 *Julii* anni 1581 (56).

Postquam GULIELMUS jurasſet:

„ *Beloven en zweeren dat wy de Graeffelyckheydt*,
„ *Landen ende Ingezetenen van Hollandt*, *Zeelandt*
„ *ende Vrieslandt voornoemt gehouw en getrouw*
„ *zullen wezen*, *Ons reguleren naer de Poincten*
„ *by Ons in het aennemen van de Regeringhe der*
„ *voornoemde Landen belooft*, *ende voorts alles*
„ *te doen*, *dat een goedt en getrouw Hooft en Hoo-*
„ *ge Overigheyt van den voorſz. Graeffchappe en*
„ *Landen ſchuldigh is te doen.*"

„ *Soo waerlyck helpe Ons Godt Almachtigh*, *ende*
„ *ſyn Heyligh woort.*"

Postridie decretum fuit ut ſententiis in jure dicundis hujusmodi principium praemitteretur. „ *Juſtitiam adminiſtrans nomine ſummi imperii et comitatus Hollandiae*, *Zeelandiae et Friſiae occidentalis*;" ut veniae (*gratiae*) concederentur *nomine principis ſummum imperium habentis* (57).

Eodem die tempore veſpertino propter proxime ſuperioris diei ſolennia, Ordinibus generalibus prae-ſen-

(56) Vid. *Reſ. v. Holl.* 24. Julii 1581. *fol.* 384 et 385.
(57) Vid. *Reſ. v. Holl.* 25. Julii 1581. *fol.* 388.

ſentibus, ab Ordinibus Hollandiae princeps exceptus est.

Quaeritur num illa nova ejus poteſtas a veteri differret. Univerſe negando reſpondemus; quamvis nonnullas agnoſcamus parvi momenti differentias: nimirum.

1°. Ratione temporis ad quod conſtituenda erat.

2°. Eo quod nomen regis omisſum erat.

3°. Ratione ſolennitatis quae in principis inauguratione obſervanda esſet.

1°. Ordines ipſi illam imperii oblationem vocant continuationem (58). Ita ut quod ad ipſam rei indolem de mutatione cogitari non posſet; ſed differebat tempore ad quod duratura erat.

Quae ſuperiori tempore factae esſent imperii oblationes, eae ſtatuebant (et certe aliud nihil ſtatuere poterant) *quamdiu bellum duraret*, etiam valere poteſtatem datam oportere.

Qui diligenter obſervaverit hiſtoriam continuationis hujus actus, is facile animadvertere potuerit, Amſtelodamum approbare noluisſe actum 15 *Martii* anni 1581, et principem primum locutum fuisſe de continuatione ejusdem in quatuor menſes; utrum igitur continuatio fuerit ad quatuor menſes, an ſine praefinito temporis ſpatio, difficile ſit ſtatuere, niſi Ordines hujus ſolutionem quaestionis ipſi ſuscepisſent.

(58) Vid. *Ref. v. Holl.* 19. Julii 1581. *fol.* 359.

ſent. Princeps enim locutus fuerat de continuatione in quatuor menſes, ſed contra in actis nihil invenitur de tempore praefiniendo; (59) quod enim Ordines intra quatuor menſium ſpatium abſolutum principi imperium ſeſe delaturos declarant, id ſane de continuatione intelligi non potest; declaraverunt igitur Ordines principi ſe detuliſſe potestatem imperandi nullo adjecto die, cum antea tantum hanc potestatem tenuiſſet, quamdiu illae regiones bellum gererent (60).

2°. Altera differentia ſpectabat omiſſum regis nomen. Et cum PHILIPPUS agnitus eſſet ſed non idoneus (*incapax*) judicaretur, et jura diceretur amiſiſſe, GULIELMUS noster ſummum tenebat imperium jure quod vocatur uſufructuario; id est, ante abjurationem illud ad tempus, post abjurationem ad vitae tempus poſſidebat; at utroque caſu ad heredes transmittere non poterat, cum jus dominii a jure uſufructuario ſeperatum fuerit; ſed priori caſu jus dominii poſſidebat PHILIPPUS, posteriori Ordines, in quos illud transtuliſſet GULIELMUS.

3°. Oblationis actus fuit magis ſolennis, jurajuranda perſpicua et efficacia fuerunt et melius GULIELMUM inter et harum regionum incolas deſignave-

(59) *Ibid. fol.* 364.

(60) Declaraverant Ordines in epistola ad ceteras provincias miſſa, uti apparet e decretis Hollandiae ad d. 6. Maji 1583. *fol.* 134. Invenitur etiam apud BOR. *L.* XV. *fol.* 202.

verunt vinculum, inter civitatis rectorem fupremum fummumque imperantem et fubditos, quos fummo imperanti fideles et obedientes esfe non decet tantum, fed officii etiam religione ad id faciendum obftrictos esfe existimamus. Ab eo inde tempore actis publicis quibus vel vindicta exercebatur, vel venia concedebatur, praefcripta fuit haec formula: GULIELMUS *Dei gratia comes Nasfavicus*, *fummum imperium*, *ac Hollandiae*, *Zeelandiae et Frifiae moderamen habens* (61). Quo titulo princeps ufus est in omnibus legibus et jusfibus (62). Vel etiam: GULIELMUS cui delatum est fummum imperium (63).

Animadverfione dignum videtur Zeelandiam GULIELMO idem imperium non continuasfe; cujus causfa videtur fuisfe lis, quae tunc temporis GULIELMUM inter et urbem Medioburgum erat fuborta. Urbes Vlisfinga, Veera et Arnemuda jam anno 1572 fide erga GULIELMUM excellebant; Medioburgum autem conftanter non tantum eodem in ftatu manebat, fed pertinaciter etiam fefe contra GULIELMUM defenfitaverat; ita ut tamen ad incitas redacta fe fere arbitrio victoris debuerit tradere. Cum comitum tempore magnam in Zeelandiam exercuisfet pote-

(61) Vid. *Ref. v. Holl.* 25. Julii 1581. *fol.* 388.
(62) Vid. *Groot Placaetb. Vol.* I. *p.* 704. 719. 1102. 1606. 1609.
(63) Vid. *Ibid. Vol.* I. *p.* 1100.

testatem, nemini mirum videbitur, principem quum vidisset, quam malevola illa civitas esset, ejus jura voluisse minuere; et hanc potestatem sibi deditionis pacto reservaverat, ad *d.* 19. *Febr.* 1574 qua deinceps usus est in favorem urbium Valachriae, Vlissingae, Veerae atque Arnemudae. Illud GULIELMI factum inique tulit Medioburgum; ita ut usque ad GULIELMI mortem ei sese semper opposuerit et eo, de quo cum maxime agimus tempore, continuationi, deinde vero absolutae imperii oblationi obstiterit (64).

Recte observavit SPIEGELIUS mirum videri litem exigui per se momenti tantum valuisse, neque illo solum tempore, sed etiam in forma regiminis harum regionum quae sequentibus seculis exstitit. Atqui in forma regiminis aristocratica magna semper cernitur contumacia et seditiosissimus quisque plerumque vincit; una civitas rebellis, una familia malevola et invida, modo potens eadem sit, totam rempublicam in extremam perducere potest perniciem.

Quamvis concessio de imperii disponendi GULIELMO honori sit vertenda, optandum tamen fuisset, ut illam non concessisset; certe ni concessisset, populus felicior idem et liberior futurus fuisset; il-

(64) Vid. VAN DER SPIEGEL *Onuitg. stukken Vol.* I. *p.* 143.

illam quippe concesſionem ſi rite conſideremus, mirum nobis videri debet, eos erga fautorem hac ipſa concesſione abuſos esſe; ſed multo etiam magis miramur vulgarem de ſuprema GULIELMI *ambitionis metâ diu animo concupita* opinionem, quae ſemper exſtitit et noſtris adeo temporibus etiamnum exſtat; ſed quam non omnes palam profiteri voluerunt ob alias virtutes, quibus GULIELMUM excelluisſe fatentur (65).

Diximus recte GULIELMUM contendisſe, potestatem quam ei nunc deferre volebant, minus late patuisſe ea potestate, quae jam anno 1576 principi fuerat concesſa, quaeque ei continuata erat.

Invenimus ad *d.* 15. *Martii* (66) idem delationis inſtrumentum cum illis, quas ſupra indicavimus, mu-

(65) Expresſe illam ſententiam amplectitur BURMANNUS *l. c.* plerique ſcriptores eandem tacite ſequuntur; ne quis credat nos nimis multa de ingrato noſtratium animo dixisſe. SPIEGELIUS v. gr. qui toto pectore ſeſe dederat domui ARAUSIACAE, qui ob illam fidem multa quoque perpesſus est, ita in errorem inductus erat ut his verbis defendat GULIELMUM: „ *Was de* „ *Prins dan de eenige, wien het ongeoorloofd was uit de* „ *omwentelinge van zaaken eenig nut te trekken?*" *Satisfactie p.* 65. Sic B. H. LULOFS Vir. Cl. Elogio GULIELMI I. eadem ratione GULIELMI defenſionem ſuscipit, p. 65. „ *En,* „ *zoo hij hiertoe* (ad comitum imperium abſolute acquirendum) *in het laatſte zyns levens ook al eenige pogingen* „ *ſoms heeft aangewend, kan men het hem dan ten kwade* „ *duiden dat hij, tot loon van zijne oneindige opofferingen,* „ *deze waardigheid zocht te erlangen?*" Quam parum digna defenſio ſummi viri! Haec tamen est communis fere omnium ſententia.

(66) Vid. *Reſ. v. Holl* 15. Martii 1581. *fol.* 64.

mutationibus; post biduum autem ordinem in Ordinum coetu obſervandum; (67) atque hic ordo plane derogat delationi ſummi imperii. Certe non credimus, Ordines bidui ſpatio duo laturos fuisſe decreta, quae plane ſibi invicem oppoſita ſunt; quapropter dispoſitionem in Ordinum coetu obſervandam putamus conſtituere exceptiones vel moderationes in imperii delatione, et ambo haec inſtrumenta unum integrum efficere decretum; fortasſe ſummi imperii in GULIELMUM ejusque heredes deferendi fundamentum, quo niterentur articuli inaugurationis.

Quo firmius, quae hactenus disputavimus, probentur, ſatis erit animum ad horum inſtrumentorum confectionis historiam advertisſe; et continuo apparebit, Ordines primum de imperii oblatione egisſe ad *d.* 28. *Martii* 1580, et deinde ad *d.* 16. *Januar.* 1581, de dispoſitione vero ſeu ordine in coetu obſervando primum ad *d.* 7. *Septembr.* 1580 et deinde ad *d.* 16. *Januarii* 1581 (68). Videntur igitur de iis ſimul agere voluisſe; hinc etiam intra bidui ſpatium, cum imperii oblatio tum dispoſitio in Ordinum coetu obſervanda, decreta fuere. Princeps etiam ad *d.* 17. *Martii* 1581 in Ordinum coetu adfuit, et hanc antinomiam, (quae exſtat inter decre-

(67) Vid. *Reſ. v. Holl.* 17. Martii 1581. *fol.* 74.

(68) Vid. *Reſ. v. Holl.* 28. Martii et 7. Septemb. 1580. *fol.* 44 et 188. et 16. Januarii 1581. *fol.* 13.

creta 15 et 17. *Martii* 1581. nifi noftra admittatur fententia) obfervaturus fuisfet (69).

For-

(69) Diverfae funt fcriptorum fententiae de decretis 15 et 17. Martii 1581.

SLINGELANDIUS decretum 15. Martii habet inftar inftrumenti continuationis imperii: et decretum 17. Martii continere putat exceptiones, quae non comprehendebantur in oblatione (Vid. *T.* I. *p.* 101. *et feq.*) KLUITIUS quod attinet ad decretum 15. Martii SLINGELANDII amplectitur fententiam, (*Op. Cit. T.* I. *p.* 255) sed quod attinet ad decretum 17. Martii SLINGELANDII fententiam non nifi ftrictiori quodam fenfu admittit. (*p.* 223.) WAGENARIUS plane confundit quae acta fuerunt refpectu fummi imperii abfolute deferendi et continuationis; isque docet de fummo imperio abfolute deferendo primum actum fuisfe ad. d. 2. Junii 1582. (*T.* VII. *p.* 511). Decreta vero 15 et 17. Martii continere ait continuationem (*l. c. p.* 431) neque animadvertit antinomiam quae fecundum hanc doctrinam inter illa decreta exftaret. SPIEGELIUS citat decretum 15. Martii 1581. quo dicit principi menfe Julii ejusdem anni imperium delatum esfe *fatisf. p.* 244. sed non intelligit continuationem necesfariam fuisfe, certe principem diutius regnare non potuisfe vi oblationis imperii anni 1576, illamque oblationem factam putat ut principis amici conciliarent urbes, quae fatisfactiones accepisfent, cum ceteris urbibus quae fatisfactionum expertes manfisfent, (contendit quippe illas non agnovisfe Imperii oblationem anni 1576) non autem agit de decreto d. 17. Martii 1581. Ego autem eorum fcriptorum fententias admittendas esfe non puto, cum ex decretis Hollandiae plane appareat principem primum fuisfe qui post diuturnos Amftelodamenfium tergiverfationes. continuationem ad d. 18. Julii 1581 propofuit ad quam decernendam aegre et quafi reluctanter tandem permoti fuerunt Ordines. Et ante d. 15. Martii et post d. 17. Martii femper actum fuit de abfoluta et hereditaria imperii oblatione; ergo nulla fuit causfa quapropter jam tunc temporis ageretur de continuatione imperii anno 1576. delati. Praeterea quidquid contendat KLUITIUS ad componenda illa decreta, femper manet antinomia, nifi confundantur ac tamquam unum integrum decretum intelligantur; fed fi illa admittatur fententia, non continent continuationem, quum principis fummi imperantis jura angustius circumfcripta esfent quam illa quae anno 1576. ip-

Fortasſe inutile ſit illas moderationes commemorare, niſi ab omnibus disſentirem ſcriptoribus de vi horum inſtrumentorum; et niſi praeterea inde probaretur GULIELMI ſententia, inter imperium delatum anno 1576 quod ipſi continuabatur, et imperium in eum heredesque ſuos transferendum.

Nuda earum rerum, de quibus Ordines in coetu ſuo agerent ſecundum illam diſpoſitionem *d.* 17. *Martii* 1581, enumeratio, in hunc finem ſufficiet. Ordinibus igitur competeret agere de tributis: de precariis voluntariis: de pecuniarum ſubſidiis: de omnibus obligationibus hypothecariis: de mutatione formae regiminis aut moderaminis civitatis: de pace aut induciis pangendis: de translatione aut oblatione hujus comitatus: de annuis et penſionibus annuis conſtituendis: de decretis aut edictis ferendis: de moribus univerſe: de collationibus aut dotationibus magistratuum introducendis: de inſtituendis magistratibus: de remittendis mercedibus locationum, pecuniarum ſubſidiis, aut tributis: de mutationibus et univerſa ratione monetae: de augendis belli tributis: de ſolvendis debitis comitatus: de concedendis privilegiis urbibus pagis aut collegiis. Praeterea tertio quoque menſe ad conventum redirent et ipſi diem praeſtituerent: coetus extra ordinem convocaret vel prin-

ipſi ſuisſent tributa. Sententia ampliſſ. SPIEGELII plane refellitur iis quae diximus de ſatisſactionibus et abjuratione.

princeps vel Ordines deputati: in iis, quibus suffragia plurimorum legem non constituerent, cum praesentes inter se conciliari non possent, princeps controversiam dirimeret una cum consiliariis quos in hunc finem eligeret.

En articulos, de quibus agendi Ordinibus potestas futura esset, et in quibus eorum requirebatur consensus; sunt sane hi tanti momenti ut fere labefactent oblationem imperii secundum instrumentum quod invenitur ad *d.* 15. *Martii* 1581.

Quomodo autem illa dispositio, in Ordinum coetu observanda, sit intelligenda et explicanda parum refert (70). Nam uti jam supra edisseruimus, civitas amstelodamensis decretum 15. *Martii* 1581 non approbavit et cum princeps summum imperium absolutum accipere nollet tunc temporis, sine omnium civitatum consensu, confugerunt ad continuationem. Sed cum Amstelodamenses tandem consensissent de continuatione, iterum agi coeptum est de absoluta et hereditaria imperii delatione. Quae de hac caussa acta sunt et jura, quae inde nacta est illustrissima domus ARAUSIACA, quae non sine magna juris laesione effectum numquam habuerunt, erunt sequentis capitis argumentum.

Sum-

(70) Mihi quidem videtur strictissimo sensu explicanda fuisset illa dispositio; quo explicandi et interpretandi modo semper utendum in privilegiis, remediis, beneficiis, moderationibus, exceptionibus, etc.

Summa igitur conclusio hujus capitis eo redit:

I.

Quum GULIELMI potestas a jure comitis huc usque derivata fuisset, eo jure cessante, ipse potestatem amittebat.

II.

Quum PHILIPPUS, quae Ordines, Ordines quae PHILIPPUS concedere non posset postularent, abjuratio sive a legitimo principe sejunctio necessaria fuit.

III.

Ad *d.* 26. *Julii* 1581 provinciae foederatae se a PHILIPPO sejunxerunt, cujus sejunctionis scopus fuit, ut alius eligeretur imperans, cui subjectae essent.

IV.

Ante hanc a PHILIPPO sejunctionem in comitatu Hollandiae jam agebatur de summo imperio in GULIELMUM ARAUSIACUM ejusque haeredes deferendo, ne ex sejunctione anarchia oriretur.

V.

Ante illam ſejunctionem, imperium in GULIELMUM ejusque haeredes abſolutum, delatum non fuit, inprimis ob Amſtelodami tergiverſationem.

VI.

GULIELMUS ad *d.* 20 *Julii* 1581, in imperio anno 1576 in eum delato continuatus est, eo ipſo inprimis ſuadente, nobilibus et plerisque urbibus moram in imperio abſolute deferendo aegre ferentibus.

VII.

Hanc imperii continuationem tunc temporis agnoscere negavit Amſtelodamum; lite demum transactione compoſita, ſe tandem ad *d.* 18 *Jan.* 1582 huic principis imperio ſubmiſit.

VIII.

Abjuratio defendenda e neceſſitate ſejungendi ſe a PHILIPPO.

IX.

GULIELMO I. inpoſitum erat officium novum eligere imperantem aut illum eligi curare; cum tamen res ſua ageretur, jus illud in Ordines transmiſit.

X.

X.

Differebat illa continuatio imperii ab oblatione imperii anni 1576 in tempore non praefinito.

X I.

Differebat porro fonte, unde derivandum erat GULIELMI imperandi jus, cum ante sejunctionem, a PHILIPPO; post sejunctionem, ab Ordinibus illud GULIELMI imperandi jus derivandum esset.

X I I.

Differebat denique majori oblationis imperii solemnitate.

X I I I.

Zeelandi GULIELMUM in imperio non continuaverunt, ob litem principem inter et Medioburgum. Civitas nempe illa privilegia jure belli amiserat pacto, et nunc jure disponendi de imperio a GULIELMO acquisito abutebatur, ut ab illo privilegiorum restitutionem extorqueret.

XIV.

Decreta Ordinum diei 15 et 17 *Martii* 1581 ita explicanda videntur, ut integrum conſtituant decretum, fundamentum imperii in GULIELMUM I ejusque haeredes deferendi.

CAPUT QUINTUM.

DE IIS, QUAE IN COMITATU HOLLANDIAE ACTA SUNT, DE SUMMO IMPERIO GULIELMO I EJUSQUE HEREDIBUS LEGITIMIS DEFERENDO.

Illud ante omnia firmiter tenendum est, etiam in iis rebus quae ſummi imperii abſolutam oblationem ſpectent, Ordines egiſse concesſione, quam ipſis GULIELMUS I pridem fecerat. (1)

E ſuperiori capite apparuit abſoluti imperii oblationis fundamentum jam fuiſse poſitum, illamque jam exitum habituram fuiſse, niſi impedimento fuisſet recuſatio civitatis amſtelodamenſis, de qua latius ibi disſeruimus.

Ordines principis conſilio morem gesſerant, et ut omnem effraenem evitarent licentiam, confugerant ad actum continuationis, in quo cum alia inveniuntur, tum illud, Ordines omni ſtudio curare debuisſe ut

(1) Vid. *Reſ. v. Holl.* 16. Januarii 1581. *fol.* 13.

ut intra quatuor menſium ſpatium, principi communi conſenſu imperium renovaretur eique abſolute deferretur ac traderetur; et ut controverſiae litesque de ſatisfactione amſtelodamenſi componerentur transactione, vel judici dirimendae ſubjicirentur (2). Negotium illud ſatisfactionis amſtelodamenſis interea plus morae huic abſolutae attulit oblationi, quam quis forte credat; tandem tamen conventio inita est ad *d.* 20 *Decbr.* 1581 et postero die rogaverunt principem, num vellet eam comprobare ac ratam habere; idque fecisſe videtur menſe Januarii anni 1582 (3). Credibile est, Ordines ſtatim post pactum conventum, fortasſe cum illud principi offerrent, propoſuisſe ut quibus opus esſet, quo ſummus agnosceretur imperans, expediret; inveni enim GULIELMUM ad *d.* 21 *Decembr.* 1581 dixisſe, ſibi e republica non videri jam tum procedi ad abſolutam imperii oblationem, ſed gratius ſibi futurum, actum quo jurasſet ſibi tradi (4). Atque in hanc ſententiam factum est decretum, quod traditum est principi ineunte anno 1582 (5). Die 26 *Januarii* a principe acceptum est, qui hac de re apocham (*Brieven van Renyerſaal*) reddidit (6).

In-

(2) Vid. *Reſ. v. Holl.* 19. Julii 1581. *fol.* 365.

(3) Vid. *Reſ. v. Holl.* 20 et 21. Decembr. 1581. *fol.* 633–638. et 643 et 26. Januarii 1582. *fol.* 42.

(4) Vid. *Reſ. v. Holl.* 21. Decemb. 1581. *fol.* 643.

(5) Vid. *Reſ. v. Holl.* 8. Januarii 1581. *fol.* 1.

(6) Vid. *Reſ. v. Holl.* 26. Januarii 1582. *fol.* 40.

Invenimus actum continuationis principi ad *d.* 24 *Julii* anni 1581 jam traditum fuisse; neque tamen eo tempore videtur accepisse, quoniam Amstelodamum agnoscere hunc actum recusaret, et controversiae, si instrumentum in Ordinum potestate maneret, facilius viderentur posse sopiri. Huic opinioni ansam mihi praebuit relatio advocati BUYS, qui addit Amstelodamum nunc etiam jusjurandum praestitisse (7).

Nemini profecto mirum videbitur, principem non statim post rem cum Amstelodamensibus transactam, de absoluta imperii oblatione agere voluisse; cum talis sane agendi ratio laudanda non esset, antequam Amstelodamum fidem suam obstrinxisset, sine qua finis rei impositus censeri non potuit.

Zeelandia continuationi calculum suum adjicere pernegavit; quam et Gouda recusaverat approbare; conabantur igitur Ordines Hollandiae persuadere Zeelandis, ut in hac re sibi suffragarentur (8), sed irrito conatu.

Cum PHILIPPUS proscripsisset GULIELMUM et posito praemio palam invitasset qui eum necaret, statim multi parati fuerunt qui turpem hanc sceleris mercedem obtinere et de nefario isto praemio reportando certare non erubescerent; idque eo magis quod

(7) Vid. *Ibid.*

(8) Vid. *Ref. v. Holl.* 18 et 25. Januarii 1582. *fol.* 8 et 38.

quod religionis causfam cum GULIELMI nece conjunctam esse vulgo apud Hispanos crederetur, et haud paucis, qui romano-catholicum cultum sequerentur, persuasissimum esset, per principis caedem viam in coelum patere expeditissimam; quippe statore et vindice reformatorum in Belgio e medio sublato, salvam fore putarunt cum ecclesiam, tum regis causfam. Quae cum ita essent, fieri aliter non potuit, quin nullo non tempore et loco sicariorum insidiis peteretur princeps, qui jam *d.* 18 *Martii* 1582 vulneratus est; quod quidem vulnus statim levius existimabatur, at honita multo post nova ac recrudescente sanguinis ex decerpta arteria eruptione, ad diem usque 30 *Martii* in summo vitae periculo versatus est GULIELMUS (9). Magnus ex hac calamitate apud omnes dolor fuit cum pari terrore conjunctus. Relatum legimus in decretis Hollandiae, Ordines ad *d.* 9 *Aprilis* iterum legatos in Zeelandiam misisse, ut Zeelandos ad *unionem* contrahendam permoverent ob periculum in quo versabatur GULIELMUS, et sane ob periculosae plenam aleae rerum conditionem, in qua universa jam patria posita foret, si Deo visum esset GULIELMO vitam eripi (10); et cum nil esset, quod majus cer-

(9) Vid. *Res. v. Holl.* 21. Martii et 3. Aprilis 1582. *fol.* 135 et 156.

(10) Vid. *Res. v. Holl.* 9. April. 1582. *fol.* 167.

certiusque commodum Hollandiae afferre posset quam suo tempore absolutum principi deferri imperium, delegatos nominaverunt, qui articulos et illa quae huic rei perficiendae prorsus necessaria essent praemeditarentur atque describerent, et ad *d.* 23 *Aprilis* Hagae comitum adesse deberent; ita quidem ut nisi adessent, hostes patriae judicarentur, et in rempublicam malevoli (*op poene van by gebreecke van dien, geacht te werden als quade Patriotten, ende der gemeene saecke niet toegedaen te zyn* (11). Cum autem princeps convalesceret et mandatarii illi non convenirent, illi tamen patriae amici et reipublicae benevoli judicati videntur; ad *d.* enim 29 *Junii* demum hac de re iterum actum est, cum novi eligerentur ab Ordinibus mandatarii, qui una cum deputatis Zeelandiae ac Dioecesеos ultrajectinae agerent, et communicatis cum iis consiliis, paciscerentur cum principe de summo imperio, de reipublicae moderamine et de harum regionum defensione (12).

Mense Novembris in principis aula convenerunt Ordines ut de imperii absoluta oblatione agerent (13). Sed nil amplius hac de re hoc quidem anno apud Ordines actum est. Erret tamen si quis idcirco sibi per-

(11) Vid. *Res. v. Holl.* 14. April. 1582. *fol.* 187.
(12) Vid. *Res. v. Holl.* 29. Junii 1582. *fol.* 327.
(13) Vid. *Res. v. Holl.* 20. Novembr. 1582. *fol.* 552.

perſuadeat, Ordines Hollandiae hunc annum nihil agendo aut, quod pejus etiam ſit, nugando elabi pasſos fuisſe; deliberaverunt enim, conſilia inierunt, retuleruntque qua ratione tributa ad bellum gerendum concesſa conferrentur, (14) ſed nihil decreverunt. Exeunte autem hoc anno legatos miſerunt qui cum principe et conſilio ſtatus, Ordinum rem ab aere alieno liberarent, et ſubductis rationibus, ſummam facerent partis tributorum, quorum ſolutionis dies jam venisſet kalendis Aprilis hujus anni, et ita agerent, ut ista Hollandiae debita ceterarumque provinciarum recognoscerentur, ab aere alieno liberarentur, et rationum tabulae conficerentur. At quaeret forte quispiam, quare cum principe agerent, ut ſe ab aere alieno liberarent post *d.* 1. *Aprilis* contracto. Age, Hollandiae Ordines audiamus hujus rei causſam narrantes; princeps enim ARAUSIACUS inde a *d.* 1. *Aprilis* usque ad *d.* 30. *Novembr.* impenſas belli ſolverat, quum Ordines Hollandiae Ordinibus generalibus conſenſisſent tributa colligenda, ſed inter ipſos nondum convenisſet, neque vero convenire potuerat, qua ratione haec tributa colligerentur (15). Quum igitur tributa non colligerentur, videtur timuisſe GULIELMUS, ne diuturnae deliberationes bellum geri impedirent; negotium ſeu mu-

(14) Vid. *Reſ. v. Holl.* 1582.
(15) Vid. *Reſ. v. Holl.* 19. Decembr. 1582. *fol.* 594.

munus deliberationis iis reliquit, et viris nobilibus ac potentibus Ordinibus mutuam dedit pecuniam, quas unioni debebant. Reddiderintne eas GULIELMO, an reddere neglexerint, non certo conſtat. Sed de his, et quae ſunt hujus generis plura, alius fortasſe commodior dabitur dicendi locus.

Literae oblationis ineunte anno 1583 in coetu, qui habitus est in aula principis, confectae et ſancitae fuerunt; cum nonnulli ex Ordinibus de illis referrent ad mandantes (16).

Ordines Hollandiae iterum conati ſunt Zeelandiam ad revocandam unionem permovere (17). Sed illi conatus, ut ceteri, irriti fuere, ob eam quam ſuperiori capite enarravimus causſam.

Post duos ferme menſes princeps ad Ordines ſcripſit, conſultum fore, jam oblationis negotium conſummari. Quibus acceptis literis, decretum est ab Ordinibus, ut urbes eosdem denuo mitterent legatos qui jam ſaepius hac de re egisſent, et qui optime ſcirent oblationem ſummi imperii principi factam (18). Brevi post Ordines ſtatuerunt ſigilla esſe apponenda; ut nimirum tres nobiles ſive aetate ſive ordine ſedendi primores nobilium nomine, ac deinde qui urbibus erant ab actis urbium nomine, lege ſeu dispoſitione ſancita, ſigilla apponerent; quem in finem vir

(16) Vid. *Reſ.* v. *Holl.* 17. Januarii 1583. *fol.* 3.
(17) Vid. *Reſ.* v. *Holl.* 22 Januarii 1583. *fol.* 13.
(18) Vid. *Reſ.* v. *Holl.* 15. Martii 1583. *fol.* 66.

vir nobilissimus RUTGER VAN DER BOETZELER toparcha Asperensis, doctissimus MAELSON, et comitatus syndicus seu Advocatus una missi sunt, ut singulas obirent urbes curarentque earum sigilla apponi (19). Harum literarum duo exempla, uti subscribenda sigillaque iis apponenda essent, tradita sunt triumviris quos modo nominavimus, ad *d.* 5. *Aprilis* hujus anni (20).

Illa subscriptio et sigillorum appositio ansam dedisse videntur probrosis quibusdam insimulationibus; invenimus enim deputatos Hollandiae in Ordinum generalium coetu, committentibus scripsisse, timendum esse ne Gelria moveret dubia (21). Hanc ob caussam GULIELMUS monuit Ordines, caverent sibi ab omnibus inimicitiis omnique invidia quae inter foederatos oriri posset, iis quae ab Hollandia et Zeelandia acta sunt, inprimis subscriptione et sigillorum appositione divulgata; optimi instar remedii in hunc finem adhibendi auctor iis fuit GULIELMUS, ut ad foederatos scriberent eosque certiores facerent de veritate, iisque affirmarent Hollandia Zeelandiaque mentem non esse a foedere et unione discedere (22).

Ad *d.* 21. *Maji* missi quos supra indicavimus VAN BOETZELER, BUYS et MAELSON Ordinibus lite-

(19) Vid. *Ref. v. Holl.* 26. Martii 1583. *fol.* 88.
(20) Vid. *Ref. v. Holl.* 5. April. 1583. *fol.* 96.
(21) Vid. *Ref. v. Holl.* 25. April. 1583. *fol.* 114.
(22) Vid. *Ref. v. Holl.* 6. Maji 1583. *fol.* 134.

ras oblationis oſtenſerunt ſigillis appoſitis, ſubſcriptas a tribus nobilibus et urbibus, Briella excepta, quae ſcrupulum injecerat, (postea tamen iis accesſit). Decretum fuit ut advocatus provinciae illas custodiret literas, donec ſtatuisſent de traditione, eamque decrevisſent, utque post literas ab omnibus ſubſcriptas duo exemplaria *authentica* deponerentur apud *cameram*, cui ab aerarii adminiſtratione nomen est, praeſentibus cum curia ſuprema, tum curia Hollandiae, ut rem utraeque cognoscerent.

Prorſus inter eos convenit, ut reſpectu conditionum dedendi imperii (*capitulatio*) horum collegiorum requireretur conſilium, ut jura comitatus tanto melius custodirentur. Denique decreverunt aliquos delegare qui capita ſeu articulos dedendi ſummi imperii excogitarent (conciperent) (23).

Ad *d.* 11: *Junii* delegati ab Ordinibus nominati ſunt, qui principem ut in Hollandiam veniret rogarent. In documentis quae hisce delegatis tradita ſunt, ſignificant Ordines ſe jam abhinc aliquod tempus, principem rogasſe ut Hollandiam peteret, quibus precibus morem gerere noluisſet. Quare nunc delegatos jubent principi diligenter exponere, reipublicae ob ipſius abſentiam multas difficultates multaque incommoda ſuborta esſe, et obventura etiam esſe, propter malevolum ingenium et reipubli-

(23) Vid. *Reſ. v. Holl.* 21. Maji 1583. *fol.* 169.

blicae iniquum animum, qui in multis cerneretur in dies magis magisque et demonſtraretur. Quibus Hollandiae, ac conſequenter ceteris provinciis hostium impetus, ruina ac interitus appropinquare videretur, niſi huic incommodo ipſe praeſens obviam iret; quare eum rogarunt, velit cito citius in Hollandiam venire; cum legati, ſi negaret princeps, vel adventum procrastinaret, Ordinum nomine contestata denunciatione, ſeſe innocentes eſſe declararent ab omni periculo atque incommodo quod e longiori principis abſentia oriri poſſet; idque tanto magis quod non niſi praeſente principe procedi poſſet ad conditiones dedendi imperii, quibus inaugararetur comes ac harum regionum dominus, quae ſane inauguratio celeritatem postularet, cum omnibus nota eſſet; ideoque non niſi cum magno dedecore et utrarumque partium opprobrio prorogari non poſſet (24); et haec documenta delegatis tradita ſunt ad *d.* 25. *Junii* (25).

Plane inutile et ſupervacaneum ſit, principem ARAUSIACUM defendere contra criminationes Ordinum; quasi opportuno tempore ac honesta ratione oblatum ſibi imperium acceptare detrectavisſet; quare inceptam rerum enarrationem continuabimus.

Jam ſane nemo non perſuaſisſimum haberet condi-

(24) Vid. *Reſ. v. Holl.* 14 et 25 Junii 1583. *fol.* 198 et 239.
(25) Vid. *Reſ. v. Holl.* 25. Junii 1583. *fol.* 239.

ditiones imperii dedendi brevi folenni pacto confirmatum iri, fed qui haec credit, is egregie fallitur! Vix delegati profecti erant cum Ordines lati decreti poeniteret, quamobrem iis qui ad principem delegati erant fcribere decreverunt, fibi innotuisfe urbes Medioburgum, Veeram et Goefam difficultates movere de principe admittendo nifi fua Medioburgenfibus prius reftituerentur privilegia, quibus ante bellum gaudebat illa civitas, (26) neque oblationem imperii fieri posfe fine confenfu civitatum foederatarum; deinde, fine Zeelandiae confenfu, fibi displicere dedendi imperii conditiones pangi, nec principem fine Zeelandia agnoscere ipfos comitem Hollandiae velle; quapropter rogarent principem ut prius peteret Zeelandiam, five eo colore (27) ut coetum Ordinum generalium convocaret, five quafi Zeelandiae fcrupulos tolleret, cum principi et Ordinibus Hollandiae infigni foret opprobrio, fi Hollandiam peteret princeps neque Ordines perficerent inaugurationem; eo magis cum Ordines generales et omnes provincias certiores fecisfent, inaugurationem jam esfe perficiendam, cum princeps in Hollandiam pervenisfet (28).

Quodfi cui decreta Ordinum Hollandiae adhuc videantur aliena, illud profecto decretum quod *d.* 28.

(26) Plane abfurdum illud Medioburgenfium erat postulatum, jure belli enim illa privilegia amiferant.

(27) *'t Zy onder pretext:* verba funt Ordinum.

(28) Vid. *Ref. v. Holl.* 28. Junii 1583. *fol.* 242.

28. *Junii* 1583 factum est mirum non immerito videbitur. Praebuerunt Ordines eo principi sive colores sive causfas quibus uti posset, quominus Hollandiam peteret, postquam principem auctorem dixissent, adeoque eum insimulassent, omnis incommodi atque detrimenti e longiori ejus absentia oriundi.

Praeterea argumenta, quibus usi sunt contra imperii oblationem, simulata potius sunt quam vera; Zeelandia enim consentire nolle ob inauditum Medioburgensium postulatum jam ante aliquot annos cognitum erat; Ordines igitur Hollandiae, se sine Zeelandiae consensu agere, sciverunt *d.* 25 *Junii* hujus anni, cum documenta delegatis traderent, quo die tamen negationis Zeelandiae argumentum non agnoverunt; foederatas provincias difficultates movere, cognitum jam erat ad *d.* 25. *Aprilis* (29), easque difficultates nullius esse momenti, luce clarius demonstraverant Ordines Hollandiae ad *d.* 6. *Maji* (30). Non video igitur quam ob causfam illae difficultates, quae ab Ordinibus Hollandiae *d.* 6. *Maji* 1583 nullius esse momenti judicarentur, mox ad *d.* 28. *Junii* magni momenti iisdem judicantibus Ordinibus videri potuerint. Decretum diei 14 et 25 *Junii* indecorum mihi videtur erga principem, sed idem illud, si argumenta consideraveris ob

(29) Vid. *Res. v. Holl.* 25. Aprilis. 1583. *fol.* 114.
(30) Vid. *Res. v. Holl.* 7. Maji 1583. *fol.* 134.

ob quae factum erat, claudicare probat decretum 28 *Junii*. Sed de his infra fortasſe plura dicendi erit locus; nunc potius quod coepimus enarrare in eo pergamus; unum illud tamen obſervemus, me plane asſentiri Ordinibus, contumeliae ſibi et opprobrio fore dicentibus, ſi princeps in Hollandiam venisſet neque Ordines inaugurationem perfecisſent, uti decretum illud *d.* 28. *Junii* eos honore ac laude affecturum non est; ſed minime Ordinibus concedere, GULIELMO contumeliae atque opprobrio fuisſe, ſi in Hollandiam venisſet neque Ordines inaugurationem perfecisſent; non enim video quomodo Ordinum culpa GULIELMO maculam inurere posſit.

De delatione abſoluta tribus proximis menſibus actum non est; interea vero agebatur de principe *gubernatore generali unionis* dicendo (*Gouverneur Generael van de Unie*), quam ſententiam lubens amplectebatur Hollandia, ſperans fore ut liberaretur a ſumma quadraginta millium florenorum, quotannis principi hujus comitatus ſummo imperanti ſolvenda (31).

Ad *d.* 15. *Septembr.* decreverunt Ordines nihil agere ſine Zeelandiae conſenſu (32).

GULIELMUS interea declaraverat quibusdam Hollandiae Ordinibus adſcriptis, ſi Ordines Hollandiae Zeelan-

(31) Vid. *Reſ. v. Holl.* 21. Julii 1583. *fol.* 264.
(32) Vid. *Reſ. v. Holl.* 15. Septembr. 1583. *fol.* 368.

landiaeque de imperio validum ferrent decretum, eo non tantum Hollandia ſed et ceterae provinciae conſervatum iri. His auditis, Ordines rogaverunt principem, ut nobiles civitatesque Hollandiae Zeelandiaeque convocaret mandatis inſtructas, ad pronuntiandas ſententias, ac decretum ferendum de ſummo imperio et tributis (33). Prorſus decernunt, in conditionibus dedendi imperii et literis oblationis ponendis, una cum Zeelandia procedendum. Amſtelodamum iis conſentire recuſat; ſed Ordines, cum eodem die iterum hac de re egisſent, perſeverant in decreto quod tulisſent (34). Ad *d.* 25. *Octobr.* iterum oblationis decreti rationem habuerunt, et deliberaverunt, quomodo principi ſatisfacerent quod attinet ad traditionem literarum oblationis, ſalvo jure regionis; et deinde disquiſiverunt, num Hollandia ſi traderet literas oblationis, procedere obſtricta esſet ſine Zeelandia in conditionibus de imperio dedendo ponendis? Civitates declarant ſententiam ſe emittere non posſe (35).

Gulielmus decreta ab Ordinibus lata non intelligebat, (fatendum illa ſatis perplexa immo ſecum ipſa pugnantia fuisſe) quapropter eos per conſiliarium bruninks rogavit, mitterent delegatos qui docerent eum de optima Hollandiae voluntate, de decre-

(33) Vid. *Reſ. v. Holl.* 1. Octobr. 1583. *fol.* 391.
(34) Vid. *Reſ. v. Holl.* 4. Octobr. 1583. *fol.* 424. *et ſeq.*
(35) Vid. *Reſ. v. Holl.* 25. Octob. 1583. *fol.* 426.

cretis de forma regiminis, de tributis et imperii oblatione; decreverunt Ordines operam ſe daturos ut principi ſatisfacerent (36). Ad *d.* 27. *Octobr.* deliberarunt Ordines de petitione principis, et decreverunt, habita ratione quaeſtionis et opinionum varietatis urbium de tradendis literis oblationis, ut ſatisfacerent principi, unum e nobilibus unumque e ſingulis urbibus ad eum mittere, qui omnes ei difficultates jam dudum motas exponerent, ejusque pronam erga Hollandiam voluntatem, et in rempublicam bene cupientis animi ſententiam noscitarent. Praeterea in conditionibus dedendi ad exitum perducendis procederent, quem in finem delegati ab Ordinibus nominati ſunt, qui harum conditionum capita ſeu articulos in chartam conjicerent, quibus praecipiebatur non prius discedere quam conſummatum esſet opus (37).

Nobiles atque urbes cum audivisſent declarationem principis, eam plurimis ſuffragiis ſententiam dixerunt ut literae oblationis traderentur, et ut ſtatim pergerent ad imperii dedendi conditiones perficiendas una cum Zeelandia, remque ad exitum perducerent, antequam princeps decederet ex Hollandia; nonnullae tamen urbes rem prorogare voluerunt (38). Eodem die electi ſunt delegati qui magiſtratibus et Am-

(36) Vid. *Reſ. v. Holl.* 25. Octobr. 1583. *fol.* 426.
(37) Vid. *Reſ. v. Holl.* 27. Octobr. 1583. *fol.* 430.
(38) Vid. *Reſ. v. Holl.* 28. Octobr. 1583. *fol.* 432.

Amſtelodamenſium ſenatui oſtenderent, pergendum esſe ad tradendas literas oblationis, neque ſuper ea re inanibus rixis bonas horas perdendas, ſed procedendum esſe ad conditiones dedendi imperii, propter decreta jam lata quaeque illa ſecuta ſunt, ita ut res neque prorogari neque omitti posſet, quin honor et fama (39) non ſolum principis, ſed etiam regionis, (40) inſigne et vulnus et detrimentum acciperent. (41)

Ad *d.* 9, *Novembr.* in chartam conjectae imperii dedendi conditiones (42) a delegatis traditae ſunt, et post quatuor dies, conſentientibus omnibus urbibus, excepta Amſtelodamo et Gouda, decretum ab Ordinibus literas oblationis principi tradere, quamlibet recuſantibus conſentire Amſtelodamenſibus et Goudanis. Porro imperii dedendi conditiones deinceps praelectae ſunt, et advocato traditae, ut iis adjiceret Ordinum voluntatem, procedereturque uti oporteret (43).

Ad *d.* 6. *Decembr.* decretum fuit literas oblationis non tradere, antequam in chartam conjectas dedendi imperii conditiones, princeps una cum Ordi-

(39) Jam diximus nos non intelligere quomodo Ordinum culpa, principi maculam inurere posſet.

(40) Id quidem ita conſpicuum et apertum ut probatione non indigeat.

(41) Vid. *Reſ. v. Holl.* 28. Octob. 1583. *fol.* 434.

(42) Vid. *Reſ. v. Holl.* 9. Novembr. 1583. *fol.* 439.

(43) Vid. *Reſ. v. Holl.* 13. Novembr. 1583. *fol.* 444.

dinibus recognovisset, ac deinde literas oblationis una cum periculo (vulgo *concepto*) conditionum tradere; his decretis statim recognoverunt illas conditiones, (44) et postero die principi in conclavi suo traditae sunt, a nobil. a BOETZELER, praesentibus nobil. a SCHAGEN, NOORTWYCK, MATHENES, POELGEEST, NYVELT, advocato et delegatis urbium, exceptis Amstelodamensibus et Goudanis (45).

Princeps literas oblationis accepit et gratias egit Ordinibus, paratumque se esse promisit proxime sequenti die, hora octava matutina, de conditionibus dedendi cum iis agere. Delegatis hac occasione ostendit difficultates, quas Amstelodamenses movebant quarumque expositionem scripto consignatam principi exhibuissent, quae eo spectabant, ut ab acceptanda imperii oblatione eum dehortarentur (46).

Post diem tertium ab Ordinibus electi sunt delegati, qui conditiones dedendi imperii post difficultates a principe motas recognoscerent, et cum illas correxissent de iis ad Ordines referrent (47).

Ad *d.* 13. *Decbr.* de conditionibus correctis retulerunt ad Ordines, qui eas approbarunt pauculis tantum mutatis, et decreverunt, ut ante cum princi-

(44) Vid. *Res. v. Holl.* 6. Decembr. 1583. *fol.* 482.
(45) Vid. *Res. v. Holl.* 7. Decembr. 1583. *fol.* 485.
(46) Vid. *Res. v. Holl.* 7. Decembr. 1583. *fol.* 485.
(47) Vid. *Res. v. Holl.* 10. Decembr. 1583. *fol.* 494.

cipe et cum utraque curia eas communicarent, quam ad urbes mitterentur (48).

Curiae nonnulla animadverterunt, ac deinceps conditiones (49) ad *d.* 30. *Decembr.* 1583 pacto confirmatae ſunt, ea lege, ut urbes eas comprobarent (50).

Urbes illas imperii dedendi conditiones approbasſe, Amſtelodamo et Gouda exceptis, apparet ex decretis Hollandiae ad *d.* 4. *Junii* 1584, ubi invenimus: Ordines, cum animadvertisſent magnum detrimentum multifariam reipublicae oriundum, e longiori procrastinatione traditionis ſummi imperii et comitatus Hollandiae Zeelandiaeque, principi jamdudum offerendi, de qua conſpiranti et communi conſenſu conſilioque agere coepisſent et cum principe fe-

(48) Vid. *Ref. v. Holl.* 13. Decembr. 1583. *fol.* 503.

(49) Vid. KLUIT. *Hiſt. der Holl. Staatsr. T.* I. *p.* 335. et 474.

(50) Vid. BOR. *L.* XV. *fol.* 204. Ubi conditiones inveniuntur: illas tunc temporis pactas esſe, patet ex fine inſtrumenti ſubſcripti ab eo qui principi ab actis esſet et comitatus advocato. Mirum videtur illud non inveniri in decretis Hollandiae; cujus rei haec videtur esſe causſa, quod haec typis mandata non fuerunt ante GULIELMI mortem, et tum quae antea acta fuerunt, potius celare voluerint. KLUITIUS ait ſe vidisſe manuſcriptum, et edidit catalogum vitiorum typographicorum quae apud BORRIUM in illo inſtrumento inveniuntur (*l. c. p.* 478. et *ſeqq.*). Quamvis igitur illud inſtrumentum non invenitur in decretis Hollandiae, tamen minime dubitandum est quin optima fide dignisſimum ſit. Hoc inſtrumento GULIELMUM I imperium accepisſe inde quoque patet, quod KLUITIUS exemplum ejus invenit in bibliotheca principum ARAUSIACORUM.

fere ad finem perduxisſent, tandem decrevisſe, nulla interpoſita mora esſe procedendum, et delegatos cum mandato Amſtelodamum mittere et Goudam, qui dedendi imperii conditiones iis offerrent, et ſi illae vel earum una conſentire nollet, palam et aperte iis dicerent: Ordines nihilominus rem inceptam quam celerrime ad finem esſe perducturos (51).

Dixi ex illō decreto patere ceteras urbes jam conſenſisſe; quod vel exinde mihi probabilisſimum fit, quod Ordines non niſi Amſtelodamum et Goudam legatos miſerint; cum procul dubio, etiam ad caeteras urbes mittendi fuisſent, niſi harum conſenſus jam fuisſet datus.

Ad *d.* 6. *Julii* retulerunt delegati ſe efficere nil potuisſe (52). Hoc nuncio accepto, nemo non crediderit, Ordines quam celerrime procesſuros fuisſe, ut unum illud etiamnum perficerent, nimirum inaugurationem; et profecto immortalis GULIELMUS, libertatis, cum Deum colendi, tum ſentiendi, vindex, pater patriae, comes et ſummus Hollandiae imperans ſalutatus fuisſet; niſi, cum adverſariorum verba inaugurationem diutius procrastinare jam non posſent, principis violenta mors intercesſisſet, quominus inauguratio potuerit conſummari. Si per paucos tantum dies vita etiam GULIELMO prorogata fuisſet, inaugu-

(51) Vid. *Reſ. v. Holl.* 4. Junii 1584. *fol.* 301.
(52) Vid. *Reſ. v. Holl.* 6. Julii 1584. *fol.* 357.

guratus ille, et patria liberata fuisſet ab intestina discordia, auri ſacra fame et inſana magistratuum ambitione, quae foederatas provincias patriamque per duo et amplius ſecula dilacerarunt, ac tandem ad interitum perduxerunt. Vita defunctus est GULIELMUS ad *d.* 10. *Julii* anni 1584. hora post meridiem ſecunda (53).

Investigemus jam, quaenam fuerint jura, quae ex decretis Ordinum Hollandiae acquiſivisſe cenſeri debeat celſisſima domus ARAUSIACA, quod attinet ad ſummum imperium in hoc comitatu. Ante omnia videndum est, num decreta ab Ordinibus ſine Amſtelodami et Goudae conſenſu lata, fuerint legitima et ad effectum perducenda fuisſent. Sane quam gravis et molesta illa est quaestio; quae quot quantisque prematur difficultatibus, equidem unus omnium optime et ſentio idem et fateor; neque profecto ignoro reſponderi huic quaestioni non posſe, niſi patefaciendis civitatis cum amſtelodamenſis tum goudanae malefactis; quare et invidioſum esſe ad eam ex vero reſpondere probe intelligimus. Atque utinam hunc ſcopulum praeternavigare, ſalva causſa quam agendam ſuscepi, liceat! At vero niſi quaſi in arcem hujus quaestionis invadam, ſententia mea non veritate, ſed conjectura nixa existimaretur; aut opinionis commentum, non veritatis judicium cenſe-re-

(53) Vid. *Ref. v. Holl.* 10. *Julii* 1584. *fol.* 370.

retur. Quamquam igitur non nisi acri quodam quasi doloris sensu ad hunc locum accedere possum, tamen nos non sumus ii, qui quam suscepimus, eam deseramus caussam, et invidiae vitandae gratia a veritatis defensione avocari nos patiamur; quare ad illam GULIELMI ejusque liberorum jura tutanda, age, nunc accedamus; ut manifestum fiat quantopere laesa sint; et, ut praeteritorum historia nos duntaxat moneat, ut gratiores simus erga domum ARAUSIACAM; quae, quamlibet regiminis pristina forma saepe fuerit fracta et plane sublata, eundem semper in patriam animum servavit.

Universe observandum est, id quod supra probare conati sumus, GULIELMO ex principiis cum juris universi tum ejus quod apud nos publicum esset, tributam fuisse potestatem eligendi novum comitem, quam ille facultatem in Ordines transtulit; atque haec concessio idcirco est privilegium, et ex privilegiorum natura, strictiori sensu, interpretanda. Quaeri igitur possit utrum illud privilegium datum esset coetui Ordinum, id est iis qui Ordinibus adscripti erant, an Ordinibus populi vicem sustinentibus, (populum *repraesentantibus*) id est nobilibus et urbibus. Et haec quoque quaestio satis difficilis esse videtur; sed cum nos non simus, ii, qui ansas captemus ad condendum quod vocant *systema*, sed ex genuinis principiis veritatem quaerimus, libenter confitemur, istud privilegium datum esse Ordinibus

populi vicem fuftinentibus, id est nobilibus et urbibus; ob voluntatem GULIELMI, privilegium illud concedentis, qui fibi propofuerat ut hoc modo cives placidos ac contentos redderet (54).

Agnoscimus igitur Amftelodami et Goudae ficuti et ceterarum urbium jura, mittendi fuffragia, de nova conftituenda regiminis forma et fummi imperii oblatione.

Hisce pofitis alia dijudicanda venit quaestio; quale nimirum illud nobilium urbiumque fuerit jus, an competierit uni urbi comitis electionem impedire? Cui quidem quaestioni negando refpondemus. Quae enim acta erant inde ab anno 1572 hic nullius funt momenti, cum ftatus comitatus et forma regiminis, inde a concesfione GULIELMI, qua fe nihil fine Ordinum confilio facturum promiferat, fuerit ftatus non perpetuus fed temporarius, (*ad interim* feu *provi/orius* ut vulgo vocant) qui cesfabat five per reconciliatam gratiam, five per abjuratam PHILIPPO fidem. Abjuratione namque omnia cesfabant, quae tempore *infurrectionis* ut vocatur, acta, data, concesfa aut accepta erant; cum potestas agendi, dandi, concedendi et accipiendi manaret e jure comitum, quo cesfante, omnes juris jam cesfabant fequelae. Novus oriebatur jurium fons et nova eorum derivatio, a primo nimirum magiftratu, qui ex jure magiftratus quem

(54) Vid. *Ref. v. Holl.* 16. Januarii 1581. *fol.* 13.

quem gerebat regni erat vicarius, jure Belgii publico cum univerſali tum peculiari comitatus hujus; non ex iis igitur quae ad tempus (*ad interim* ſeu *proviſorie*) gesta ſunt, inde ab anno 1572, tempore inſurrectionis quae vocatur, ſed ex iis quae tamquam regulas generales conſtituentes, jus publicum peculiare belgicum dici posſunt, quaestio dirimenda est; id est ex iis quae acta erant ante annum 1572 tempore pacis. Jus publicum enim plenum non exſtat tempore inſurrectionis, quapropter inſurrectio nullum ſtatuit jus publicum. Cum igitur post inſurrectionem (55) quaestio foret dirimenda, ex jure publico quod ante inſurrectionem exſtiterat, ſequitur, quaestionem nostram non aliter dijudicandam esſe, ac ſi de ea pronuntiandum fuisſet ante annum 1572.

Fingamus igitur comitem ante annum 1572, ſi nullos heredes legitimos reliquerit, decesſisſe, jus Ordinibus dedisſe novum eligendi comitem; ſtatuendus ac praefiniendus erat modus, quo hujusmodi electio perficeretur; Ordines enim comitem nondum elegerant; nullus igitur modus definitus erat; quare eum ſequi modum debebant, qui naturae rei plurimum convenire videbatur; id est qui maxime erat, ut

(55) Abjuratione bellum non diutius contra PHILIPPUM comitem ſummum imperantem, cujusmodi bellum dicitur *inſurrectio*, ſed contra PHILIPPUM regem Hiſpaniarum gerebatur. Abjuratio igitur inſurrectioni finem impoſuit, et bello justo, quod dicitur id est inter externos gerendo, originem dedit.

ut hoc verbo utar, naturalis; qui mihi videtur consistere, uti etiam modus ferendi decretum, in eo, ut plurimorum suffragiis lex constituatur. Quae cum ita sint, ut mihi quidem videtur, in causa de qua cummaxime agimus, cum nobiles et urbium legati ad mandantes retulissent, suffragia in Ordinum coetu colligenda erant, et quae plurimorum apparuerit esse voluntas, ea instar voluntatis universorum habenda erat. Illum modum ferendi decreti naturae convenientissimum audeo dicere; existimo enim plurimorum sententias, in quocunque coetu decernendi causa congregato, habendas esse pro voluntate cunctorum, quoniam finis hujus congregationis seu conventus est ferre decretum, et tantum si plurimorum suffragia decretum constituant, congregatio illa certum ac ratum ferre potest decretum (56). Propter egregia

(56) Vid. GROTIUS de J. B. et P. *L.* II. *c.* 5. §. 17. „ Habent autem omnes (consociationes) hoc commune, quod „ in iis rebus ob quas consociatio instituta est, universitas, „ et ejus pars major nomine universitatis obligant singulos „ qui sunt in societate." Et G. VAN DER MEULEN in comment. ad GROTIUM l. laud: „ in omni consociatione ea tacite voluisse introducere ac observari praesumendi sunt in „ eam coeuntes, sine quibus subsistere nequit, et negotia „ expediri vel perfici possunt, cujus generis sunt, quae profluunt ex ipsa quasi societatis natura, quatenus ex coetu „ hominum, in unum conspirantium, constat, ideoque et omnibus consociationibus communia, nisi expresse aliter conventum; possunt enim in societatem coalescentes mortales recedere a naturali rerum gerendarum ordine et modo, eique „ vel aliquid addere vel detrahere, prout ipsis visum „ utile fore societati, quam erigere animum induxerunt; „ verum seclusis ejusmodi pactis et legibus, naturalis ordo

„ ne.

gia GULIELMI in patriam merita omnes eum comitem eligere volebant; certe dicebant ſe GULIELMUM comitem eligere velle; ſed GULIELMO nullum jus competebat quo esſet eligendus; Ordines enim alium etiam eligere potuisſent; fingamus nunc ſuffragiorum partem tulisſe GULIELMUM, partem alium quemlibet, et ſuffragantium neminem concedere voluisſe; jam dicat quaeſo aliquis, num res in eodem ſtatu, id est in confuſione, manſura fuisſet, et nullus omnino electus fuisſet? minime! ſiquidem finis ſuffragia mittendi fuit electio. Finis igitur coetus ſtatuit modum deliberandi et decretum ferendi, (niſi ille modus jure ſcripto vel conſuetudine ſit ſtatutus, qui in causſa quidem noſtra ſtatutus non erat) ita ut cum *finis coetus* fuerit *comitis electio*, *modus decretum ferendi* non ille esſe posſet, *ut comes non eligeretur.*

Non omnia igitur requirebantur ſuffragia ut GULIELMUS comes esſet, ſatis erat, ſi modo pleraque punc-

„ negotiorum tractandorum, rerumque gerendarum, ob quas „ conſociatio inita est, modus quem dictat ratio obſervandum, „ nobis agendorum norma est. Dictat autem ea nihil magis „ congruum ſanae rationi, quam ut pars minor ſequatur ma- „ jorem, et proinde quod a majori parte univerſitatis actum, „ id ceteri ratum habeant, quamobrem, tanquam omnes fe- „ cisſent, existimandum; major enim pars, tamquam ſuperior, „ trahit ad ſe minorem, tanquam inferiorem." Conf. PUFFENDORF „ de *J. N.* et *G. L.* VII. *c.* 2. § 15. BARBEYRAC *in notis* „ *francicis ad hunc locum, et ſcript. ab eo citat.* BODINUS „ *de Republ. L.* III. *c.* 4. et *L.* XIX. *Dig. ad Municipalem et de incolis.*

puncta tulisſet, quibus procul dubio comitem eum electum esſe audeo affirmare. Sed praeterea quae fuit civitatis amſtelodamenſis ratio? Ordines Hollandiae jam menſe martio anni 1581. GULIELMO ſummum imperium comitatus Hollandiae deferre decreverant, illamque oblationem inſtrumento continuationis ſolenni modo promiſerant; cujus factae promisſionis, ab eo inde tempore quo huic inſtrumento fidem ſuam obſtrinxerat Amſtelodamum, particeps fuit; unanimi igitur et communi omnium conſenſu GULIELMO ſummum deferre imperium decretum erat; cum decretum latum ſit, non qui illud decreverant illud antiquare poterant, niſi jus antiquandi iis competat, quod GULIELMO hic ſoli competebat, quippe qui Ordinibus illud non tradiderat; Amſtelodamum igitur, cum jam concenſisſet ut GULIELMUS comes renunciaretur, nullum habebat jus derogandi ſuffragio jam emisſo; et tamen ei derogavit, quum contestata denunciatione in tradendis literis oblationis et conditionibus de imperio dedendo non conſenſerit. (57) Amſtelodamenſium igitur agendi ratio legitima non fuit, decretumque legitimo modo latum violavit. Praeterea, cum decretum a plurimis potentibus perſonis phyſicis aut moralibus latum ſit, (uti hic nobiles

et

(57) Vid. *Reſ. v. Holl.* 21. Maji 4 et 27. Octobr. et 13. Novemb. 1583. *p.* 169. 425. 430 et 444.

et urbes perſonae morales erant) tunc conſenſus conciliat componitque pactum cujus vi decretum fertur, et tunc etiam contrahentibus inter ſe competit jus contrahentes cogendi ut obligationi ſatisfaciant; omnis enim pacti vis in traditione juris cogendi poſita est; ita ut, cum Amſtelodamum obligationi non ſatisfaceret cui conſenſisſet, Ordines nacti ſint jus cogendi illam urbem ad implendas obligationes; certe obſtricti non erant oblationem procrastinare propter Amſtelodamenſium ſuo ipſorum ſuffragio, quod jam emiſerant, factam derogationem. Quamobrem, ut nobis quidem videtur, Ordinum decreta de deferendo tradendoque ſummo imperio legitimo lata erant modo. Cum autem de Amſtelodamenſium agendi ratione non ulterius disſerere nobis ſit propoſitum, quam causſa noſtra postulet, ſufficient quae hactenus de hoc argumento diximus, et jam nunc eo transibimus, ut quaenam horum decretorum vis ſit atque potestas, pervestigemus.

Primo ſummi imperii oblationem inveni, cum promisſione agendi, de conditionibus tradendi ſummi imperii; de quibus egerunt, cum traderent literas oblationis, quas accepit princeps; qui cum iis die ſequenti egit de conditionibus, quibus inauguraretur.

His conditionibus ſtatutis decreverunt Ordines ut celeriter pergerent, (58) id est, ut brevi tempore ad in-

(58) Vid. *Reſ. v. Holl.* 4. Junii 1584. *fol.* 301.

inaugurationem procederent; illa perfecta non fuit; quapropter non dubitamus dicere GULIELMUM comitem numquam fuisse.

Ne tamen quis exinde credat, me inaugurationem ita necessariam existimare, ut sine ea nemo summus imperans censendus sit. Distinguimus enim inter principes, qui jure hereditario summi fiunt imperantes, et eos qui creantur oblatione imperii. Cum summum imperium sit jus hereditarium, necessaria non videtur inauguratio; propter cognitam juris publici regulam: „ Rex numquam moritur." (*le roi ne meurt jamais*) Si igitur rex moriatur, ejus heres jure hereditario in ejus locum succedit, etiam non interveniente inauguratione: quodsi inauguretur, inauguratio nihil amplius est, quam nudus ritus; sed utilis ille tamen, at non postulatum, neque unica ratio, qua heres defuncti regis locum occupet. Quod attinet vero ad illum, qui non jure hereditario evadit summus imperans, sed per oblationem creatur, res plane aliter sese habet. Hac enim in caussa promissio vel obligatio inaugurandi nullum confert jus nullumve titulum acquisiti imperii; neque illa sufficient, ut quis summus sit imperans; peculiaris enim requiritur actus traditionis; quae traditio summi imperii jure publico consistit inauguratione. GULIELMI inauguratio locum non habuit; ei igitur summum imperium traditum non est, neque idcirco comes factus est.

Quam-

Quamvis autem inauguratio perfecta non fuit, tamen GULIELMUS jus perfectum in fummum imperium habuit, quod ejus morte irritum non fiebat. Ex conditionibus enim dedendi imperii incumbebat Ordinibus obligatio, eaque perfecta, fummum GULIELMO tradendi imperium; (59) qui ex illa Ordinum obligatione confequebatur jus petendi fummi imperii traditionem. Jus enim rerum bifariam confideratur; nimirum *jus in re* et *jus ad rem* (60); jus *in re* est: qua rem noftram ab alio posfesfam actione in rem a posfidente petere posfumus, quoniam res ipfa nobis obligata est; jus *ad rem* est: quando perfona obligata est, ad rem dandam faciendam vel praeftandam, et rem quam certa quaedam perfona nobis debet, petere posfumus actione *in obligatam perfonam;* differentia igitur pofita est in traditione vel perfecta vel needum perfecta. Si traditio jam perfecta est, res nobis obligata est, et confequimur jus in

(59) Verba funt: *in den eerften, dat fyne Princelycke Excellencie den Graeffchappe en de Landen van Hollandt, Zeelandt ende Vrieslandt, mette Hoocheyt Heerlicheyt en de aencleven van dien, onder den ghewoonlicken naem ende titule fal houden, befitten en befchermen, als een vrye Graeffchappe ende Graeffelyckheyt, fonder daerinne te recognofceren ofte t' erkennen eenighen Overheer, nochte overzulcx aen yemandt huldt, trouwe ofte manfchap te beloven of te fweeren.*

(60) Vid. quae de jure *in re* et *ad rem* habet BILDERDYKIUS vir conf. *Zielkundige verhandelingen p.* 71. *et feqq.*

in re et actionem in rem. Si traditio nondum perfecta est, res nobis obligata non est, ſed perſona nobis obligata est ad rem dandam, et habemus jus *ad rem* et actionem in perſonam obligatam. Sequitur exinde nos jus rerum non conſequi traditione, ſed illud ante traditionem jam conſecutos eſſe ſtipulatione, emtione, locatione, univerſe quocunque contractu, pacto vel promisſione nobis facta.

Ante traditionem itaque habemus *jus rei*, post traditionem *rem ipſam;* inter quae quod attinet ad effectum, reſpectu contrahentium, in jure nullam differentiam exſtare oportet, propter juris regulam, *jus ſuum cuique tribue*. Si enim v. gr. jus rei conſecuti ſimus ex promisſione aut emtione, rem illam nobis tribuere debet promisſor aut venditor, cui juris praeſcripto ſi non ſatisfaciat, jure civili nobis competit actio, jure naturae jus cogendi. Quod facto igitur obtinet diſcrimen inter *jus in re* et *jus ad rem*, non ita rem ſpectat ſed potius perſonas, quibus vel incumbit obligatio rem uſui ac diſpoſitioni nostrae tradendi, vel ab omni turbatione uſus istius ac diſpoſitionis circa rem abſtinendi (61). Differentiam quam etiam jure publi-

(61) In illa quaeſtione ſaepius uſus ſum et etiam porro utar appellationibus quae in jure romano valent. Ne quis tamen inde putat, hanc nos quaeſtionem e jure romano velle dijudicare. Res ita ſeſe habet in jure naturali unde ad caetera jura manavit, ad jus civile, jus publicum cetera. Vocabulis quae in jure romano occurrunt, propterea uſus ſum, ut quaeſtio a JCtis facilius intelligi posſit.

blico existere debere probavimus, revera eo jure admisſam esſe, apparet e jurejurando inaugurationis ſolennitate a principe praeſtando. (62) Princeps enim hac opportunitate prior jusjurandum praeſtat juratque ſe defenſurum populi privilegia, libertatesque, et obſecuturum esſe illa, quae bonum principem facere, aequum est; id est ſe numquam jure imperandi esſe abuſurum. Nemo jure abuti potest, niſi qui jure praeditus est; quapropter ſe jure imperandi abuſurum non esſe, promittere nequit, niſi ei jus quoddam imperandi jam competat.

Inauguratio igitur ipſa probat principi inaugurando ante inaugurationem jus quoddam imperandi competere; quod ſi verum ſit, inauguratio non est traditio *juris imperandi* ſed traditio *imperii*; id est, ante inaugurationem principi competit jus *ad imperium*, et populo incumbit obligatio, imperium uſui ac dispoſitioni ejus tradendi; post inaugurationem principi competit jus *in imperio*, populo autem obligatio, ab omni turbatione uſus ac dispoſitionis circa imperium abſtinendi. GULIELMO igitur nullum jus competebat in ſummo imperio in comitatu Hollandiae, cum ſummum illud imperium ei traditum necdum esſet; ſed habebat jus ad ſummum imperium in comitatu Hollandiae et actio

(62) Huic doctrinae favebant Ordines Hollandiae ad *d.* 24. *Julii* 1581. Vid. *disp. p.* 183.

tionem *in perſonam* obligatam ad tradendum ſummum illud imperium, quae perſona obligata erant Ordines Hollandiae, qui illud ſolenni modo ſe tradituros promiſerant. GULIELMO igitur jus erat, quo Ordines cogere posſet ad traditionem ſummi imperii; et cum traditio ſummi imperii (ut jam monuimus) jure publico perficiatur inauguratione, GULIELMO competebat jus, quo Ordines Hollandiae cogere posſet, ut ſe comitem inaugurarentur.

Noſtram de jure GULIELMI ejusque liberorum quod attinet ad ſummum imperium in comitatu Hollandiae ſententiam, primis diebus post hujus celſisſimi principis obitum, minime rejecerunt Ordines Hollandiae, ſed potius confirmaverunt; cum GULIELMI jus ſummi imperii posſidendi, ita firmum certumque judicarent, ut ſummi imperii posſesſioni posſet aequiparari.

Ad *d.* 26. *Julii* hujus anni deliberaverant an Hollandiae *vexillum* GULIELMI comitaretur funus; cui quaeſtioni plerique affirmando reſponderunt, propter illa quae principem inter et Ordines jam acta erant; pauci contra, ob causſas quas memoratas non inveni (63). Ajentium ſententia fuit comproba-

(63) Vid. *Reſ. v. Holl.* 26. Julii 1584. *p.* 434. Ajentium verba ſunt: *dat in aenſieninge van 't gunt tusſchen ſyne Excellentie ende de Staten van Hollandt is gepasſeert ende gehandelt, de wapenen van den Graefſchappe van Hollandt, op de uytvaert mede gebruyckt ſullen worden.*
Paucorum negantium verba haec ſunt: *hebben daerin om eenige reſpecten niet kunnen conſenteren.*

bata et *vexillum* GULIELMI funus comitatum est (64).

Quaeret forsasse quispiam quaenam sit vis, *vexilli* Hollandiae, GULIELMI funus comitantis? vexilla antiquae gentes jam habuerunt; Romani singulis centuriis *vexilla* constituerunt, ne milites a contubernalibus suis aberrarent (65). Praesides provinciarum tamquam insignia habuerunt *vexilla* quae vultum principis praeferebant (66). In solennioribus principum pompis, totidem praeferri *vexilla* quod provinciarum dominum se esse princeps profiteretur, neminem latet (67).

Vexilla igitur erant signa, quibus conjuncti essent subditi, et potestatis magistratuum insignia. Hoc sensu intelligimus Ciceronis verba „ *vexillo* opus

(64) Vid. W. VAN GOUTHOEVEN, *vervolge van de Chronycke van Holl. T.* II. *p.* 193. verba sunt: *Hiernae droegh Jonckheer* JAN VAN NAELTWYCK *de baniere van Hollant;* VAN LOON *Aloude regeringswyze van Holland T.* V. *p.* 680 *et seq.* verba sunt: „ *Onder welke aldaar voor-* „ *gedraegene Bannieren men ook die van Holland met toe-* „ *stemming der Staaten van dat Gewest heeft zien gebruyken.* BORRIUS scriptor fide dignissimus, hoc loco obscurus, plane illustratur verbis scriptorum supra laudatorum, ita ut nostrae sententiae de *vexillo* Hollandiae revera GULIELMI funus comitanti favere videatur, quam praeterea probant verba, in Ordinum Hollandiae decretis prodita; *vexillum* GULIELMI funus comitatum fuisse temere et inconsiderato negat WAGENARIUS *T.* VII. *p.* 52.

(65) Vid. ROSINUS *Ant. Rom. p.* 722.

(66) Vid. HEINECCIUS *Ant. Rom. p.* 277. et auctores ab eo laudat.

(67) Vid. HEINECCIUS de sigillis veterum *p.* 129.

„ opus est, convolabunt" (68) id est, duce opus est, eique nomen suum dabunt subditi; et quae invenimus apud eundem „ tum „ illum Campanae *vexillum* coloniae vehementer „ huic imperio timendum" (69) id est, tum illi qui campanae vexillo coloniae conjuncti sunt, (campani cives) eorumque dux huic imperio vehementer timendi erunt. Vexilla igitur definiri posse videntur, signa nonnullorum, quae possident magistratus tanquam documenta eos, quorum illa sunt signa, potestati suae subditos esse. Hoc sensu talia exstiterunt signa familiarum, urbium, provinciarum; recentiori aetate κατ' ἐξοχὴν vexilla evaserunt, signa populorum quae possident summi imperantes, tamquam documenta populos sibi subditos esse. Hinc laesio facta vexillo populi, est contra principem et populum admissa, et propterea graviter vindicanda; hinc bella quae ob *vexilla* laesa gesta sunt (70). *Vexillum* igitur erat signum populi Hollandici; et illi, cujus funus comitabatur, erat ad instar documenti Hollandos ei subditos esse. Quapropter Ordines Hollandiae, cum curarent *vexillum* Hollandiae

(68) Vid. *Ep. ad. Att. Lib.* X. *ep.* 15.

(69) Vid. *Orat. agrar.* II. *c.* 32.

(70) Vid. quae de iis habet BILDERDYKIUS in oda *op 't onteeren van het Hollandsch wapenschild* in carminibus quae inscribuntur *Vaderlandsche Oranjezucht.*

diae comitaturum GULIELMI funus, revera GULIELMUM jure comitem agnoverunt.

Neque tamen ita haec agnitio intelligenda est, quasi jam traditum fuerit GULIELMO summum imperium; cum illud tantum ex illa Ordinum agnitione inferri posse videtur, Ordines GULIELMI *ad imperium possidendum jura*, ita valida firmaque judicasse, ut possessioni imperii aequiparari possent.

Videamus nunc de jure quod GULIELMI liberi habuerunt. GULIELMUS habebat actionem ad postulandam inaugurationem; cujusmodi actionem qui possidet, is bonum aliquod possidet, quod in patrimonio possidentis est. Bona enim dicuntur quod beant, id est quod beatos faciunt; beare est prodesse; si igitur quid sit in actionibus, petitionibus vel persecutionibus, quod nobis prosit vel nos beatos reddat, actio dicitur bonum quod in patrimonio est quodque patrimonium transmittitur ad liberos (71). Hanc ob caussam liberi possunt instituere actiones, quae parentibus defunctis competebant, si quid inde utilitatis obveniret liberis; et cum facultas decernendi an actio habet aliquid utilitatis, pertineat ad eum qui actionem instituit, dicendum est, liberos instituere posse actiones quae parentibus defunctis competebant, atque eosdem ex iis percipere fructus, quos percepturi fuissent, si parentes actionem instituissent. Quod-

(71) Vid. *L.* 49 et 208 de Verb. Signific.

Quodsi Ordines GULIELMUM solenni inauguratione comitem salutassent, unus e GULIELMI liberis comes fuisset eligendus; oblatio enim imperii erat hereditaria, ea conditione, ut Ordines e liberis legitimis defuncti comitis eligerent successorem (72). Ita ut liberis comitis defuncti ante electionem factam idem competet jus. Cum igitur GULIELMO jus esset, quo posset cogere Ordines ad traditionem summi imperii, idem jus erat GULIELMI liberis ac si ille actionem instituisset. Etenim si GULIELMUS actionem instituisset, illi ex actione instituta aliquid utilitatis percepissent. Jure igitur naturali vel potius (loquimur enim de vinculo summum imperantem inter et subditos) jure publico ex dicto articulo 49, (73) GULIELMI liberis contra Ordines competebat actio, quam summo cum fructu in jure instituere potuissent, AD COMITEM EX IPSIS ELIGENDUM ATQUE ELECTO SUMMUM TRADENDUM IMPERIUM sive ELECTUM INAUGURANDUM.

Saepius locuti sumus de actionibus instituendis, et cum nulla actio institui possit, nisi apud judicem competentem, fortasse nonnemo moveat exceptionem

(72) Vid. *Art.* 49.

(73) Cujus verba sunt: *Ende naeden overlyden van syne Vorstelycke Ghenade sullen die Staten van de voorschreven Landen ende Graefschappen van Hollandt, Zeelandt ende Vrieslandt, aennemen ende ontfanghen als Grave van denselven Lande, een van syne Vorstelycke Ghenade wettelicke Soonen, die zy daarin bequaemst sullen houden.*

nem incompetentis curiae; qui tamen eam obmoveret ab Ordinibus Hollandiae dissentiret; non enim probabile nobis videtur, Ordines curiae Hollandiae competentiam in dubium vocaturos fuisse; anno enim 1579 agnorunt Ordines se in jus vocatos apud curiam conveniri debere (74). Cum quaestio illa Ordines inter et Amstelodamum orta esset de satisfactione, saepius dixerunt Ordines: hujus controversiae judicium esse penes Curiam (75), uti decebat (76). Eo magis curia in caussa, de qua nunc quaerimus, judicium habebat competens; cum quaestiones inter Ordinum membra ortas dijudicare Ordinibus non liceret, certe dijudicare illas haud possent, quibus totus Ordinum coetus in jus vocatus esset. Sed quod omnem dubitandi scrupulum tollit, ad quod in primis animum adverti oportet, illud est: summum imperium fuisse rem litigiosam, sine summo imperio (de quo disponendi jus GULIELMUS iis dederat anno 1581) erant Ordines subditi (77).

Jam igitur probato cum GULIELMI jure, tum liberorum ejus, tum curiae Hollandicae jurisdictione (competentia), si Ordines iis quae postulare potuissent

(74) Vid. *Res. v. Holl.* 17. Febr. 1579. *fol.* 21.

(75) Vid. *Res. v. Holl.* 19. Julii 13. Octobr. 8, 10, 11. Novembr. 1581. *fol.* 359. 543. 563. 569 et 578.

(76) Vid. *Res. v. Holl.* 21. Novembr. 1581. *fol.* 579.

(77) Vid. VAN DER GOES *Register* *T.* IV. *p.* 127. et *T.* VI. *p.* 40. et 281.

ſent GULIELMI liberi, ſatisfacere nollent, quaeret fortasſe quispiam, quid causſae fuerit cur, cum Ordines Hollandiae GULIELMI liberis jus ſuum non tribuerent, GULIELMI liberi jus ſuum perſequi omiſerint et quam ſupra memoravimus actionem, cur eam non inſtituerint? Quae ſuper hac re mea qualiscunque ſit opinio, breviter exponam.

SI GULIELMI liberi ſummum acquirere vellent imperium, Ordines cogendi erant, actione inſtituenda. Sed actionem nemo inſtituet, niſi aliqua quamvis tenuis ei ſpes luceat, fore ut ex actione, ſi victor abierit, fructus ſit percepturus. Cum igitur ex *d. Art.* 49. Ordinibus jus competeret comitem eligendi e liberis comitis defuncti legitimis, Ordines autem ad traditionem proni non esſent, nullum dubium est, quin ſi unus actionem inſtituisſet, alterum elegisſent. Si MAURITIUS actionem inſtituisſet, electuri fuisſent FREDERICUM HENRICUM; ſi FREDERICUS HENRICUS illam inſtituisſet, electuri fuisſent MAURITIUM; ſi MAURITIUS et FREDERICUS HENRICUS eam ambo inſtituisſent, fortasſe Ordines ad comitatum fuisſent vocaturi comitem BURENSEM. Sed illud quidem argumentum misſum facere licet et ſumere Ordines, quicquid acciderit, ſive MAURITIUM ſive FREDERICUM HENRICUM electuros fuisſe comitem; ſed hoc quoque ſumto, illi fratres communi actione traditionem petere debuisſent, quam inſtituere cum aliqua ſpe succesſus non potuerunt.

Gu-

GULIELMUS uxorem duxit LUDOVICAM COLIGNIAM quae ad *d.* 29 *Januarii* 1584 filium peperit FREDERICUM HENRICUM. Hic igitur tempore mortis GULIELMI adhuc erat infans, quare actionem non ab ipſo ſed tantum ipſius nomine inſtitui poſſe patet; at LUDOVICAM COLIGNIAM pasſuram numquam fuisſe, hanc actionem inſtitui, certo certius affirmari poſſe videtur. Haec quidem celſisſimi MAURITII noverca numquam conſenſura fuisſet, ut FREDERICI HENRICI nomine actio inſtitueretur, e qua MAURITIUS privignus fructus percipere potuisſet. Actio igitur inſtituta non fuit, et domus ARAUSIACA jura ſic amiſit ſua, et patria per duo ferme ſecula dilacerata fuit per Ordinum malevolentiam, qua obligationem quae ipſis incumbebat, implere detrectarent, et per novercale in privignum odium.

Jam jura GULIELMI I. ejusque liberorum in comitatu Hollandiae abunde videntur probata. Notum est MAURITIUM conſilii ſtatus praeſidem electum diu dubitasſe, num iſtud munus acceptaret; et videtur magnus ille princeps, primis ſperasſe temporibus, jura ſe ſua vindicare poſſe; ſed cum grave gereret bellum, disſenſiones magnae contra eum concitarentur, proditores autem quovis modo perdere eum ſtuderent, et noverca eum odio proſequeretur, credibile est, MAURITIUM omnem paterna jura recuperandi ſpem niſi amiſisſe certe temporibus cedentem abjeciſſe. Illud unum etiam obſervandum est MAURI-

TIUM ea habuisse in patriam merita, ut dignus esset qui haec jura exerceret, quae tamen exercere non potuit ob caussas memoratas. Sed neque MAURITII merita, neque patris sui, nec cujusvis omnino principum ARAUSIACORUM nostri majores vel agnoverunt vel remunerati sunt.

Sed non tantum justitiae caussa Ordines oportuerat GULIELMI jus ad imperium in comitatu agnovisse, sed etiam eum heredesque ipsius comites creare debuissent ob artis politicae rationes atque momenta, et peculiarem hujus comitatus conditionem. Legatur doctissima J. RAU viri cons. atque amicissimi dissertatio *de Monarchia optima imperii forma*; animadvertatur praeterea infelix hujus comitatus conditio et status calamitosus, qui tribus proxime superioribus annis bellum fere non gesserat, cum deliberaretur et contentionibus tempus tereretur, de rationibus auxiliisque quibus bellum gerendum esset. Brabantia, Flandria, Gelria, amissae jam erant, ita ut ad Hollandiae ac Dioceseos ultrajectinae vires refugiendum esset GULIELMO, (78) ubi rebus suis melius prospectum iri posse fortasse sperarat; neque contigit tamen exitus, quem optavit, quamquam oratio principis GULIELMI, qua Ordinum illum coetum aperuit, virtutis oratoriae, persuasionis, verbo: eloquentiae perfectissimum est exemplum.

An-

(77) Vid. *Res. v. Holl.* 14. Novemb. 1583. *fol.* 445.

Ante GULIELMI mortem tot jam fuerunt lites et dissensiones tempore belli, sed plures etiam fuerunt duobus sequentibus seculis, quamvis tempore pacis. Si aliquem e GULIELMI filiis elegissent comitem, patriam ab illis liberaturi fuissent.

Denique imperium unius multo tolerabilius atque gratius est, fluxo atque vago innumerabilium imperio magistratuum, in alias atque alias abeuntium sententias: tyrannis unius quamquam nihil suavitatis sane habet, gratior tamen erit immodestia, superbia, fastu, iracundia, crudelitate atque avaritia aliquot centenorum.

Qui de his nobiscum facit, is pariter sane nobis assensurus est, Ordines in culpa fuisse, cum se ab obligationibus erga domum ARAUSIACAM rite contractis non liberarent, et hujus domus principes non crearent summos imperantes, quos nobis demum, eversionibus antiquatis, salutasse contigit universi Belgii summos imperantes.

Summa igitur conclusio hujus capitis eo redit.

I.

Videntur Ordines statim post litem cum Amstelodamo transactione compositam, ad absolutam imperii oblationem procedere voluisse, quod principi e republica esse non videbatur.

II.

II.

Ordines GULIELMO vulnerato, rurſus agere coeperunt de imperio ei abſolute deferendo, quem in finem delegatos nominaverunt, qui articulos et illa quae huic oblationi peficiendae prorſus necesſaria esſent, praemeditarentur. Principe autem reconvalescente, hac de re non amplius agebatur.

III.

Literae oblationis ineunte anno 1583 confectae fuerunt.

IV.

Menſe maji hujus anni literae oblationis, ſigillis appoſitis, a nobilibus et urbibus ſubſcriptae fuerunt.

V.

Eodem menſe decreverunt Ordines, delegare qui capita ſeu articulos ſummi deferendi imperii, in ſcripturam redigerent.

VI.

Menſe octobris hujus anni iterum delegatos nominaverunt, qui capita ſeu articulos ſummi dedendi imperii in chartam conjicerent.

VII.

Menſe decembris hujus anni, literae oblationis imperii, principi traditae ſunt.

VIII.

Literis oblationis imperii principi traditis, Ordines cum GULIELMO egerunt, de conditionibus transferendi imperii.

IX.

IX.

Conditiones dedendi imperii ad *d.* 30. *Decembr.* 1583 a GULIELMO et Ordinibus confirmatae ſunt, ea lege, ut urbes eas comprobarent.

X.

Conditiones illae ab urbibus comprobatae fuerunt, exceptis Amſtelodamo et Gouda.

XI.

Facultas novum eligendi comitem a GULIELMO in Ordines translata data erat Ordinibus, populi vicem ſustinentibus, atque adeo nobilibus et urbibus; ita tamen ut plurimorum ſuffragiis lex conſtitueretur; quapropter decreta de ſummo imperio legitimo lata erant modo, adeoque ad effectum perducenda fuisſent.

XII.

Ut GULIELMUS Hollandiae comes esſet, inauguratio erat necesſaria; illa igitur non perfecta, dicendum, GULIELMUM numquam comitem fuiſſe.

XIII.

Distinctio juris *in re* et *ad rem* rerum naturae plane convenit, et jure publico admisſa est; quare Ordinibus e conditionibus dedendi imperii incumbebat obligatio, eaque perfecta, ſummum GULIELMO tradendi imperium; unde hic conſequebatur jus *ad ſummum imperium* in comitatu Hollandiae, quo Ordines cogere posſet ad traditionem ſummi imperii, ſive ut ſe comitem inaugurarentur.

XIV.

Noſtram de jure GULIELMI *ad ſummum imperium* in comitatu Hollandiae doctrinam, primis diebus post hujus celſiſſimi principis obitum agnoverunt Ordines, cum *vexillum* Hollandiae GULIELMI funus comitaturum conſtituerent.

XV.

Jus illud GULIELMI post ejus obitum in ejus liberos tranſibat, qui propterea ſummo cum fructu jure actionem contra Ordines inſtituere potuisſent, AD COMITEM EX IPSIS ELIGENDUM ATQUE ELECTO SUMMUM TRADENDUM IMPERIUM, ſive ELECTUM INAUGURANDUM.

XVI.

Curia Hollandiae in cauſa, de qua quaerimus, judicium habebat competens.

XVII.

Cauſa quapropter liberi GULIELMI actionem memoratam non inſtituerunt, videtur fuiſſe poſita in LUDOVICAE COLIGNIAE novercali erga MAURITIUM animo.

CON-

CONCLUSIO.

En igitur ad metam pervenimus curriculi, in quo virium noſtrarum periculum facere conſtituimus. Defendimus jura ſummi illius viri, cui, quod cariſſimum patriae nomen inter gentes non fuerit deletum, unice acceptum ferre debemus; a quo Deum e ſolo cujusque animi conſcientiae praecepto colendi libertatem, noſtri majores vindicatam nactos esſe, gratisſimo animo fatemur; quae quamvis exigua Europae pars, ſemper tamen emendati cultus atque purioris de Deo et Evangelio doctrinae praeſidio fuit; et quaſi fulcrum et adminiculum preabuit, cui univerſae Europae libertates contra tyrannidem francicam defendendae ratio inniteretur; etenim etſi Europae tranquillitati numquam non imminuit Francia, per noſtrum tamen atque inprimis principum ARAUSIACORUM religionis et libertatis ſtudium, conſilia nefaria perficere non potuit; donec discordia, cujus ſemina inveniuntur in juribus GULIELMI I neglectis, hostes omnis libertatis, qui ſe ostende-

rant hostes Belgii inde a prima ejus origine, oppresſores Europae, Galliam bellicoſam et praepotentem, invocavit; ut nos liberaret, ita enim dictitabatur, a domo ARAUSIACA; id est ab illa domo, e qua ſtatores et vindices et perpetui propugnatores atque fautores Belgii prodierunt. Noſtra libertate oppresſa, eodem labefactata motu, corruit univerſae Europae libertas; utraque eadem concidit ruina.

Spero fore, ut eorum quae patriae acciderunt, reſpectu formae regiminis inde ab anno 1572 ad 1584, enarratio perpetuo fere hausta ex iis quae in commentariis conſignaverant Ordines, aut ex monumentis hiſtoriae ſolenniter confectis authenticis, quae memoriae prodiderunt ſcriptores fide digni, aut certe ſi forte ipſa non invenirentur, ex iis quae ſcriptores noſtrae ſententiae adverſarii agnoverunt, haec igitur enarratio ſpero non nihil contulisſe ad memoriam GULIELMI I ab illa liberandam infamia, qua noſtrates eam commacularunt, et ad firmanda Regis noſtri Augustisſimi jura; ſi quidem hiſtoria nos docuerit malos eventus neglecti juris ſummi imperantis.

Disputationi autem finem impoſituri non posſumus facere quin pauca quaedam in memoriam revocemus, de GULIELMI natura et indole; ut intelligatur, quam male de ſummo principe judicaverint nonnulli. Erat GULIELMUS *religioſus*; religionis enim causſam tuitus est: ad religionem tanquam fi-

uem

nem omnia referebat: religionis causſa honores, et ſplendorem quo in potentisſimi regis aula floreret, non recuſavit abjicere, quamquam neque ipſe, neque heredes ejus, fructus perceperint quos percepturi fuisſent, niſi religionem ducem et vitae magistram GULIELMUS unice ſequi voluisſet.

Erat *injuriarum patiens mitis ac placidus* in vita laborioſa et aerumnoſa; quandoquidem ſemper fere cum fortuna conflictari debuit adverſa, qua contumeliis et ignominiis numquam non fuit petitus, quamvis ex honestisſimis et ab omnis malitiae admixtione puris fontibus, ſemper ejus profectae ſunt vitae actiones, ſed quorum momenta et causſas cum aliis communicare interdum non poterat; quo factum est, ut accuſaretur, et contumeliis afficeretur, cum finis ad quem omnia dirigeret, gravisſima quaeque eum tolerare juberet, nec ſineret ad ſui ipſius defenſionem, ſtudium diligentiamque conferre. Et tamen patiens placidusque haec omnia perpesſus est.

Numquam ſuccubuit fortunae adverſae ab eo inde tempore, quo primum conatus est permovere PHILIPPUM AC MARGARETHAM, ut mitigarent edicta, finemque imponerent perſecutionibus. Cum hi conatus irriti cecidisſent, comparavit exercitum, quocum in has regiones venit, ut liberaret eas a dominatione inquiſitionis hiſpanicae, ſed qui auxilium ei adferret, inventus est nemo; carebat pecunia, quare cum militibus ſtipendia ſolvere non posſet, exerci-

tum dimittere coactus est. Cum advenisſet, precariae non concedebantur; concesſae non colligebantur; ſemperque excruciabatur invidia inter provincias, ſuperbia nobilium Flandriae ac Brabantiae, discordia ac defectu conſpirantis inter provincias conſenſus; neque tamen tot tantisque ſuccubuit calamitatibus, ſed recte factorum conſcientia nixus et Dei, ad quem ſemper confugiebat, a quo opem petebat, auxilio fretus, officiorum nullum vel neglexit unquam vel omiſit.

CAROLUS V a prima eum adolescentia ſecum habuit, porro eum in conſilio ſibi adesſe voluit, ut deliberationibus de maximi momenti rebus interesſet; inde GULIELMUS *raram rerum peritiam ſummumque acumen ingenii* conſecutus est. Quas excelſas dotes postea innumeris documentis ostendit, cum tenuisſimis auxiliis et perexiguis copiolis res egregias contra potentisſimum orbis terrarum regem gereret, et ejusmodi jaceret fundamenta, quibus poſitis, post obitum dirisſimum, filiis domum ſuperſtruendam reliquit. *Cognitio indolis ac naturae humanae permagna in eo fuit; memoria autem tanta, ut prodigii inſtar esſet* (1).

Quanta in eo fuerit *rei militaris* ſcientia, inprimis apparuit, cum quos haberet milites, ii ob non numeratum ſibi ſtipendium ad effraenem laxati esſent li-

(1) Vid. REYD. *Nederl. Oorl.* p. 92.

licentiam, tamen prudentia ſua effecit ut ad disciplinam revocarentur, hactenus certe, ut cum exercitu ſuo collectitio illo atque tirone, ducem ALBANUM, REQUESENSIUM et JOANNEM AUSTRIACUM qui copiis praeerant exercitatisſimis, et ſemper victricibus, retineret eorumque impetum frangeret.

Praeter has virtutes habuit quoque illam rarisſimam, *ut orator verborum esſet ſuavisſimus*, qui et argumentorum gravitate, et oris facundia, omnium apud quos diceret ſuffragia ſibi conciliaret. Testes ſint GULIELMI orationes, quas qui legerit, eum asſentientem nobis habiturum non temere credimus. Et talem fere eventum habebant GULIELMI orationes, ut quam defenderet, ea ſemper victrix evaderet ſententia; tanta ad perſuadendum iis inerat vis, tam ſuaviter in audientium animos influebant, ut cum Ordinibus auctor fuisſet ferendi decretum de forma regiminis conſtituenda, de tributis imperandis, de unionis foedere ſanciendo, conſuetum agendi morem ingratum paullisper omittunt, et de petitionibus ejus ac monitis ſe acturos promittunt, quin et priſtinae morae, qua conata GULIELMI fruſtrari adhuc ſoliti esſent, eos poenitere videretur; poenitentiam autem perbrevem fuisſe et Ordines mox antiquum repetiisſe morem omnia clamant!

Incolas ducere ſciebat, qui ſaepe taedii pleni judicare non poterant de utilitate rerum ab eo ges-

ta-

tarum; fortasse in errorem inducti ab ejus inimicis, suavi voce *repraesentationis* et *repraesentantium*, eorum voluntas ab eo abalienata fuit. Populus vera a falsis distinguit non principio sed eventu, propositum generosum et liberale ab illiberali et abjecto, non consilio et voluntate, sed successu et exitu dijudicat; et cum in praeposteram et infaustam inciderit opinionem, tributa sibi imperari in gratiam principis, non populi ipsius commodi adjuvandi caussa, delectatur quoties principis voluntatem frustrari ejusque consilia irrita reddi videt, semperque eum qui suffragium tributis negat, nescio quo coeco et a ratione alieno impetu, libertatis vindicem censet atque propugnatorem. Has difficultates omnes superavit eloquentiae suae ope GULIELMUS; nunc suaviter populum paterna quasi voce adhortans, nunc graviter eum vera reipublicae commoda quaenam sint, edocens; nonnumquam etiam, si res postularet, duriter eum increpans atque objurgans; quo genere potius nonnumquam utebatur quam precibus, quippe quae majestati nonnumquam melius conveniunt; iisque populo persuasit, praesertim cum jure suo atque auctoritate uteretur, ut seposito omni timore, populo sua vitia suosque errores exponeret; GULIELMI orationes habemus documenta et exempla eloquentiae vere batavae.

In vita familiari facilis erat, affabilis, neque alienus a liberali joco; inprimis conviva ad hilari-

ta-

tatem pronus et genio ſubinde indulgens. Hoc tantum tempus ſumebat ad animum a curis relaxandum. Ceteroquin ſtudebat rebus gravioribus et curarum plenus erat, atque ſollicitudinibus exagitatum pectus habebat: quo tempore *tectus fuit et taciturnus;* ita ut rerum actarum vel agendarum nihil ipſi excideret, et qui ei fucum facere vel callide arcana elicere vellet, fruſtra operam impenderet; et qui ſpem aut diffidentiam, e vultu et ore GULIELMI vellet interpretari, iterum fruſtraretur; cum ſpem vultu ſimulare altoque premere ſub pectore vulnus asſuevisſet (2). Inde nomen *taciturni* quo non ſolum noſtrates, ſed inprimis GRANVELLIUS eum appellitabant, non injuria nactus est.

Ea quae *inſurrectionis* causſa perpesſus est, et numero multa et gravitate intolerabilia erant. *Inſurrectionem* per ſe odioſum cenſebat remedium; cui idcirco inimicus erat, et ad quam non niſi invitus ac reluctante animo accesſit (3). Cum obire non posſet officia erga Deum et erga comitem, quandoquidem jam eo ventum erat, ut vel haec vel illa debuerit deſerere, praeſtabilius existimavit cuſtodire of-

(2) Vid. REYD. *l. c.*

(3) In inſtrumento de ſtatu harum regionum a GULIELMO confecto anno 1566. dicit: *daar 't ſchynt redelyck te weſen, dat men ſubject is ende verbonden patientelyck te dragen, alle de gheboden en ordonantien des Meesters.* Vid. BORRIUS *L.* III. *fol.* 93.

officia erga Deum, cum PHILIPPUM permovere non posset, ut edicta mitigaret. Profugus suis privatim sumtibus collegit exercitum, nostras regiones occupatum venit, ubi cum omnes sibi auxilio futuros merito sperasset, nullos qui auxilium praestarent nactus est; et cum ditissimus inter Europae principes et censeretur et esset, ad eam tunc paupertatem redactus est, ut mutuam accipere pecuniam debuerit et bona ipse sua oppignorare. Cum advenisset vidimus quomodo jura sua perdiderit, quomodo in rebus agendis frustratus fuerit, cum semper in timore esset, ne finem propositum non attingeret. Spe in Deum unice collocata, vitam profundere cum fortuna si modo patriam salvam habere posset, numquam detrectavit.

Edisseruimus quomodo illum summum imperantem neglexerint Ordines, sed respectu rei privatae seu familiaris ejus, haud melius cum eo egerunt. Anno 1582 Ordinibus mutuas dedit pecunias ad bellum gerendum necessarias, et suo loco diximus Ordines illas GULIELMO reddidisse non videri; id quod probamus. 1°. Eo quod GULIELMO defuit pecunia, quae MAURITIO subministrari debuisset, ut eum Lugdunum Batavorum studiorum caussa mittere posset; impensas in rem literariam MAURITII faciendas partim curarunt Ordines Hollandiae; qui omnes tamen solvere nolebant, et nimiam saepe hic parsimoniam exer-

exercebant (4). 2°. Petitione a GULIELMO Ordinibus facta, ut ſibi mutuam darent ſummam 24,000 florenorum, quam conceſſerunt (5). 3°. Petitione GULIELMI, qua Ordines rogare debuit ut ſolutionis diem, qui non ante menſem junium et julium adfuturus eſſet, repraeſentarent menſe martio, idque Ordines haud abnuerunt (6). 4°. Perſecutione quam GULIELMUS a nonnullis creditoribus pati debuerit ob ſummam 3,000 florenorum, quam numerandam curarunt Ordines ut principis (ut profitebantur) honori ac famae conſulerent (7). 5°. GULIELMI paupertate tempore mortis; quae talis fuit, ut haeredes diu et multum dubitarent de adeunda hereditate, cum omnis ſupellex immo annuli et veſtimenta haſtae publicae ſubjicerentur, eo conſilio ut debita ſolverentur (8). Certe omnia illa minoris ſunt momenti, habita ratione eorum, quae capite quinto indagavimus; ſed ſaepius et minimi momenti res hiſtoriam optime illuſtrant.

Hic

(4) Vid. *Reſ. v. Holl.* 22. Junii, 18. Julii, 11. Octobr. 8 et 29. Novembr. 1582. *fol.* 309. 354. 498. 525 et 564.

(5) Vid. *Reſ. v. Holl.* 14. Febr. 1584. *fol.* 135.

(6) Vid. *Reſ. v. Holl.* 15. Martii 1584. *fol.* 159.

(7) Vid. *Reſ. v. Holl.* 6. Julii 1584. *fol.* 358.

(8) Vid. REYD. *l. c. p.* 93. verba ſunt: „ *Weſende midts* „ *den oorlog ſoo verarmt, dat nae zynen doot d'Erfghena-* „ *men hen langhe bedachten al eer d'Erffenis aen te tas-* „ *ten, en daar en tusſchen werde zyn huysraet, ringhen,* „ *ſilver, tapeten, jae kleederen van zynen lyve tot betalinghe* „ *van ſchulden openbaerlyck verkocht.*".

Hic ergo ille fuit quem ambitionis insimulant; videamus quaenam illa fuerit ambitio.

Demonstravimus GULIELMI jura inde ab anno 1572 ad annum 1584, et vidimus eum jure plenum imperium exercere potuisse comitum, anno 1572; quale jus tunc temporis jam in eo agnoverunt Ordines. Incipit autem promissione nihil agendi nisi audita prius Ordinum sententia. Ergone inde apparuerat principis ambitio? Abdicare sese cupit omni omnino imperio in favorem Ordinum anno 1574: an hoc igitur ejus ambitionem testificatur? Deprecantur eum et exorant ne abdicet; cedit Ordinum precibus et concedit, ut quantum velint, in ipsum juris transferant: num et hoc igitur ejus ambitionem declarat? nec aliter agit anno etiam 1576: quaeso num tunc temporis ambitiosus fuit? Flandri eum suae provinciae praefectum creare cupiunt, hanc se praefecturam accepturum prius negat, quam consentirent Hollandiae Ordines, quibus abnuentibus, non dubitat repudiare oblatum munus: quaero iterum num hoc sit animi ambitiosi signum et indicium? Anno 1581 de forma imperii potuit statuere, jus statuendi seu disponendi transfert in Ordines, qui ei absolute deferre voluerunt summum imperium, quod se accepturum negat, nisi antea res cum Amstelodamensibus ad liquidum perducta fuerit. Num hoc fortasse argumento niteretur BURMANNIANA ista GULIELMI *su-*

prema ambitionis meta, diu animo concupita? Eandem principi potestatem Ordines continuarunt, atque promittunt intra quatuor mensium spatium, ipsum comitem creatum iri; at vero integrum praeteriit triennium, neque tamen GULIELMUS comes inauguratur. Jam igitur vos appello adversarii, dicite quo argumento GULIELMUM ambitiosum fuisse contendetis? aut si contendere pergitis, quomodo a *praejudicatae* ut leniter dicam *opinionis labe, ipsi vos immunes praestabitis?*

Et ita tamen pervulgata est illa GULIELMI ambitionis nomine jactata inculpatio, ut aequalis noster vir inprimis venerandus, scriptor omni laude dignissimus et ARAUSIACAE domui amicus hunc nodum non dissolverit, et inculpationem vel tacitus agnovisse videatur; cui ego fortasse videar nimis acriter discrepantem ab ipso tuitus esse opinionem; sed quo minus id mihi vitio vertatur, cogites quaeso, quanto animi ardore, quanta admiratione GULIELMI ego memoriam prosequor, ut quidvis potius patiar, quam ut languide caussam agere potuerim, talis ac tanti viri, et vero patriae sospitatoris carissimae!

Pervicisse nos credimus GULIELMUM fuisse virum religiosum, patientem, mitem ac placidum, fortunae adversae numquam succumbentem, qui nihil unquam privati commodi caussa suscepit, sed omnia religionis caussa egit, cujus conservationem spectabat ut Dei honos et hominum felicitas majorem in dies

 vel

vel evidentiam vel amplitudinem acciperet. Qui unus vir religiosus, summi ingenii et optimi animi, mortifero ictus telo, hanc cum supremum traheret spiritum, emittere vocem potuit: „*Mon* „*Dieu, mon Dieu ayez pitié de moi et de ton* „*pauvre peuple;*" (9) quae quidem verba cum ipsa per se multum significant, tum pluris etiam aestimantur, habita ratione temporis quo emissa fuere; nimirum in ipso mortis articulo, cum omnium consensu atque testimonio, ab omni cum simulatione tum dissimulatione fuit alienus (10). Utinam tandem tempus adesset quod olim exstiturum credidit REYDTIUS GULIELMI amicus! cum ita diceret: „*Dit eynde heeft ghehadt de Prins van* „*Oraignien in zyn 52 jaer, wiens wercken ende* „*daden die nacomelinghen meer sullen verwonderen ende prysen als die met hem gheleeft hebben, want in zynen tydt is hy ghehaet ende vervolgt worden, van de meeste groote Potentaten* „*in de Christenheyt, van zyns ghelycken benydet,* „*ende*

(9) Vid. *Ref. v. Holl.* 10. Julii 1584. *fol.* 370.

(10) Post confectam disputationem in manus venit oratio in laudem GULIELMI I, cujus auctor est, B. H. LULOFS vir cl. qui horum verborum vim optime intellexisse videtur, cum diceret: *Het is eene taal, uitgesproken in een oogenblik, wanneer alle bedrog en geveinsdheid ophouden, wanneer de lippen geene gevoelens meer huichelen, die het harte logenstraft, en wanneer dat gene slechts de eenigste inhoud onzer gedachten en uitdrukkingen blyft, waarmede wezenlyk en in der daad de geheele ziel, tot in hare diepste diepten, is doordrongen.* Vid. *p.* 72.

„ *ende van die Ghemeenten dien hy 't niet altoos*
„ *te danck maecken konde, met veel morrens te-*
„ *ghensprekens ende onghestaedicheyt ghequelt.*" (11).

Absolvi pensum quod ipse mihi imposui, et partem illustrare conatus sum historiae patriae; probavi nostrates qui GULIELMO omnia debebant, injuria ipsum adfecisse, virtutem et veri honoris studium semper penes principem fuisse, vitia penes praepotentem partem subditorum, vitia et injustitiam vicisse, et celsissimam domum ARAUSIACAM spoliatam fuisse jure quod solennibus promissionibus, subscriptionibus et signis appositis fuerat sancitum. Probavi illa, eo tempore, quo cum Catone dicendum: „ Nos
„ vera rerum vocabula amisimus: quia bona aliena
„ largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitu-
„ do vocatur." (12)

Historia optima vitae nostrae dux est; quinam fuerunt eventus injustitiae erga GULIELMUM ejusque liberos admissae? primum forma regiminis exstitit aristocratica, cui postea successit effraenis licentia, donec hostium sub tutela nova iterum oriretur regiminis forma, quae locum fecit summo imperanti viro ex hominum classe inferiori quam quem regnare deceret, orto, a nobis plane alieno, cum inter gentes Europaeas non numeraretur patria, cum exclusum

(11) *P.* 92.
(12) Apud Sallustium in Bello Catil. C. LII.

ſum ac pene deletum esſet Hollandiae nomen, et rerum a majoribus gestarum memoriam celebrare criminis inſtar habebatur.

Confiteamur in patria veram numquam exſtitisſe libertatem; et quis foret rerum eventus, ſi quod Deus omen avertat, iterum illum erga ſummum imperantem ingrati animi ingrediremur viam?

Utinam mei conatus cum ceteris effecerint, ut ſi devia et avia vitemus omnes, in veram rectamque viam nos contineant; ſi ab ea declinaremus, nos revocarent! Doceat nos oppresſa domus ARAUSIACA, tempore mortis GULIELMI I, nullam esſe ſine imperio libertatem: illud esſe animum omnis reipublicae: cives indigere moderamine ut liberi ſint: eos ſine illo imperio, vanum et vitae expers fore corpus, pravis et contrariis animorum quaſi fluctibus jactatum, veluti gregem ſine pastore, exercitum ſine duce, navem ſine gubernatore, quae ventis praebet ludibrium!

Utinam omnes ita ſentiamus, ut libertatem ſine imperio nullam esſe perſuaſum nobis ſit! ita patriam ac libertatem diligamus, ut ſemper legibus obtemperemus prudenter ac ſapienter latis, et univerſae patriae hostes, tam illos qui pravis moti conſiliis, quietem ac tranquillitatem turbant, incolarumque animos a Rege abalienare ſtudent, quam eos qui falſa doctrina, imperitum et credulum vulgus contra principem excitant, et officiorum vim atque notionem quae prin-

principem inter et ſubditos intercedit labefactant, vincamus communi concordiae vinculo! Avertamus quae legi nostrae fundamentali oppugnatura videntur, et perſuaſisſimum habeamus, illos qui vinculum, quod principem et unumquemque noſtrum copulat, convellere et disrumpere meditentur, Patriae pesſime conſulere!

NUMQUAM OBLIVISCAMUR INJURIARUM DOMUI ARAUSIACAE ILLATARUM TAMQUAM FONTIS ET ORIGINIS OMNIUM MALORUM, QUAE PASSI SUMUS, QUAE SI ITERUM COMMITTANTUR, CERTUM EST EASDEM CALAMITATES, NON MINORES, SED GRAVIORES POTIUS, ESSE INSECUTURAS!

T A N T U M.

THESES.

I.

Nulla est differentia inter procuratorem *cum libera* et *fine libera*.

II.

Beneficium *L.* 2. *Cod. de Refc. vend.* ad emtorem non videtur extendendum.

III.

Pesfimò confilio Imp. JUSTINIANUS SCtum Claudianum in posterum conquiescere voluit.

IV.

Jure hodierno mater tutrix fola damnum, quod pupillo e tutela male gesta evenit, refarcire tenetur; quamvis confiliarii fibi adjuncti confilium fecuta fit.

V.

Actio *ab irato* non videtur abrogata.

VI.

Jure naturali pacti vis in traditione juris cogendi videtur posita.

VII.

Crimen laesae majestatis ac perduellionis poena qualificata, quae vocatur, puniendum est.

VIII.

Militis non est, de causa quam tuetur, judicium ferre.

IX.

Omnium opificiorum liberum defendimus commercium.

X.

E tribus fontibus quibus opes ac divitias suas debere solent civitates, nullus est agricultura melior, nullus dulcior, nullus uberior, nullus homine dignior.

XI.

Historiae studium minime negligendum est, tum propter alias gravissimas causas, tum praecipue

propter morum corruptelam, quae e tali neglectu oriri ſolet: recte igitur animadvertit BERGASSE: „ *Il n'y a point de moeurs, il ne ſaurait y en* „ *avoir chez un peuple, qui devenu infidèle a ſon* „ *histoire, a dit a toutes les générations qui* „ *l'ont précédé: je ne vous connois pas!*" Perperam igitur faciunt qui contendunt nonnullas quaeſtiones hiſtoricas non eſſe indagandas.

XII.

Inter injustisſimas ſpoliationes quibus rerum everſio in Gallia ſaeculo ſuperiori exeunte abundavit, praecipuum locum tenet publicatio bonorum eccleſiasticorum, ac fidelisſimorum regis ſubditorum, qui ad rebelle patriae ſolum relinquendum, officio ſeſe obſtrictos putaverunt.

XIII.

Vox *comitatus* in hisce regionibus deducenda videtur a jure quod olim comes habebat.

XIV.

Errant qui dicant, optimatium partes in patria noſtra, populo faviſſe.

XV.

Pacta inter patricios in patria noſtra, qualium exemplum edidit KLUITIUS *Hiſt. der Holl. Staatsr. T.*

T. III. *p. ult.* et invenitur apud VAN MIERIS *handvesten en priv. der Stad Leyden p.* 172. *et seqq.* iniqua et reipublicae omnino perniciosa fuerunt.

XVI.

Ex foedere ultrajectino gubernatoribus competebat judicium in mutuis provinciarum inter se dissensionibus, an Ordines provinciales foedus illud violaverint, Ordinibus vero secundum idem foedus incumbebat officium obtemperandi ejusmodi decretis gubernatorum.

XVII.

Toto animo adsentior Ordinum Hollandiae verbis ad *d.* 6. *Maji* anni 1583, quibus se GULIELMUM I inauguraturos dicunt, „*tot onse Overigheyt*, „*Grave ende Heere*, *vertrouwende soo seer op* „*de voorsichtigheyt van U myn Heeren*, *dat de*„*selve dese saecke niet quaedt of vreemt sullen* „*vinden*, *niet alleenlyck in consideratie van de* „*meriten van syn Exc. t' onswaerts*, *ende de* „particuliere obligatien *der voorsz. Provincien* „*van Hollandt ende Zeelandt* tot *syn Exc.*, *de*„*welcke een ygelyck moet bekennen* sulcx te zyn, „*dat sy qualycken anders hierin souden konnen* „*handelen*, *sonder te behalen* de schande van „ondanckbaerheyt ende IGNORANTIE; *maer inson*„*derheyt nadien deselve* CONFORM is *de Trac*-

„ *taten ende Accorden*, *ſoo dickmaels* gemaeckt,
„ beveſtight en gereitereert." (Vid. *Reſ. v. Holl.* 6. Maji 1583. *fol.* 141).

XVIII.

Princeps ſemper ante oculos habeat poetae praeceptum:

Beeft Vorsten, wankelt ge ooit in 't heilig recht te ſchragen!
Geeft de onſchuld niet ten roof aan 't opgeruid gemeen:
Die 't onrecht van u eischt, zal haast uw leven vragen!

ERRATUM.

Pag. 57. *reg.* 23. conſilium *lege* auxilium.

Cetera minoris momenti ignoscat L. B.

Bayerische Staats- Bibliothek München

AAN

JONKHEER

D. VAN HOGENDORP,

BIJ ZIJNE VERDEDIGINGSREDE VAN HET RECHT
VAN PRINS WILLEM DEN EERSTE.

Vaar voort, verweer den Vorst die Godsdienst en Geweten
Ten koste van zijn bloed ontrukt heeft aan 't geweld:
Geen dolheid die weêr krijscht om de eens verbroken keten,
Verbaze U in een pleit waar 't recht en waarheid geldt!
Kiez' de ingebeelde waan, voor 't wettig Staatsregeeren,
De woeste drift des Volks of 't looden Burgerjuk;
Het Vorstelijk gezag —, is Vrijheids zaak verëeren,
Wat Tuimelgeest ook thands het heiligste onderdrukk'.
Ga, volg die braven na, wiêr bloed U stroomt door de aderen;
Doe de ongelijkbre deugd van Neêrlands Stichter recht.
De lafaart zwijge, of plooi', en heul' met 's Lands verraderen;
Gy blijf aan Nassauws huis, aan God en de eer gehecht!

BILDERDIJK.

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Hogendorp, Dirk <<van>>,

Disp. hist.-iur. inaug. de Gulielmi I., Principis Arausiae, liberi cultus divini, liberaeque conscientiae Vindicis, iuribus in summum imperium in comitatu Hollandiae

Lugdunum Batavorum [1822]

4 Belg. 171 t
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10224878-9